AD NICOLAI SANDERI DEMONSTRATIONES QVADRAGINTA, IN OCTAVO

libro visibilis Monarchiæ positas, quibus Romanum Pontificem non esse Antichristum docere instituit, responsio Guilielmi Whitakeri, Theologię in Academia Cantabrigiensi professoris Regij.

Accessit eiusdem Thesis de Antichristo, defensa in Comitijs Cantabrigiensibus.

Apocal. 18. 4.

Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου.



LONDINI,

Excudebat Thomas Vautrollerius impensis Thomæ Chardi. 1583.

AD

NICOLAI SANDE-RI DEMONSTRATIO-NES QVADRAGINTA, IN OCTAVO

libro visibilis Monarchiae positas, quibus Romanum Pontificem non esse Antichristum docere instituit, responsio Guilielmi Whitakeri, Theologiae in Academia Cantabrigiensi Professoris Regii.

[illegible]

LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius, impensis Thomae Chardi. 1583.



HONORATISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO VIRO, GVILIELMO CECILIO, SVMMO ANGLIAE THESAVRARIO, *Baroni de Burghley, nobilis Equestris ordinis Gartherij sodali, & Cantabrigiensis Academiæ Cancellario.*



EX illa omni colluuie nostratiũ Papistarum, quos Christi pura religio, regnum ineunte Elizabetha, reiecit in exteras regiones, causam pontificiã opinione mea nullus acriore industria studioque defendit, quàm Nicolaus Sanderus. Nam & libros ad-

modum multos Anglicè Latinéque ſcripſit, & rebus etiam mouendis ac gerendis præfuit, & quoad vixit, operam pontifici ſuo fidelem ac ſtrenuam nauauit. Et verò viuat ne Sãderus adhuc, an è vita iampridem deceſſerit, certi nihil habeo. Si viuit, mentem ei meliorem opto, vt quid agat, multiſque annis egerit, ſecum cogitet, malitque Chriſti ſeruus eſſe, quàm Antichriſto fruſtra ſemper inſeruire: Sin eſt mortuus, vt multi putant, illúmque tempeſtas Hybernica, quam ipſe commouerat, abſorpſit, non poſſum magnopere dolere ciuis tam perditi ac ſeditioſi interitum, qui Patriæ bellũ intulit, vt vel pontificis crudelitati obtẽperaret, vel ſuo odio ſatisfaceret, vel religionẽ verã opprimeret. Sic huius cõatus omnes in nihilum reciderunt, & illa certa

ſpes

ſpes rerum maximarum de manibus effluxit, vt niſi amens eſſet, temeritatem ſuam agnoſcere & deplorare poſſet, huiuſque exemplo cæteri fierent ad facinora tam nefaria tardiores. In huius autem Sanderi libris, quos breui tempore varios edidit, illud inprimis volumen celebratur, quod ante annos decem de viſibili Eccleſiæ monarchia cõſcripſit. Nam & argumentum illuſtre tractat, & multiplicem lectionem ac varietatem affert, & accuratione tanta curáque elaboratur, quanta à quoquam præſtari potuit, vt nunc Sanderus non tantùm à noſtris hominibus legatur, ſed in ſummis etiam authoribus, & patronis pontificijs apud omnes habeatur. Et quidem aut ego noſtrorum hominum ingenijs nimium tribuo, aut qui ſeſe totos ad ſcriben-

dum, & iſtas de religione controuerſias tractandas contulerunt, poſſunt in præſtantiſſimis ac doctiſsimis illarum partium theologis numerari. Cum enim otio abundarent multorum annorum, nihilq́; haberent aliud quod agerẽt, & cohortationibus, muneribuſque pontificijs ad pugnãdum pro Eccleſiæ Romanæ ſalute prouocarentur, ipſique ſponte ſua in illam cauſam incumberent, tantos quidem in iſtis ſtudijs progreſſus fecerunt, vt nullis nunc Põtifex potius nitatur, neque vllos habeat aut acriores aut peritiores emiſſarios, quàm hos ipſos, quemadmodum mecum omnes fatebuntur, qui ſunt in hoc genere ſcriptorum nonnihil verſati. Quo magis dandam nobis operam eſſe perſpicimus, vt quãdo rem habemus cum aduerſarijs eiuſmodi, qui & ſibi vidẽtur

esse docti, & à suis doctissimi habentur, & sunt minimè contemnendi, ab ijs nunquã aut diligentia, aut cura, aut scientia superemur, simúsque ad eam veritatem defendendam instructi, ad quam illi oppugnandam paratissimi accedũt, ne cum causa nobis optima suppetat, nos causæ penitus defuisse videamur. Si enim illi erunt ad ictus inferẽdos prõpti, ad lacessendũ audaces, ad inuadendũ armati, nos ad resistẽdum atq; impetus repellendos aut inepti, aut parum diligentes sumus, fieri non potest, quin de Christo, eiusq; Euangelio, à quo tam multa bona percepimus, malè mereamur, & religionem Christianam, quam profitemur, pontificijs calumnijs prodamus, & nosmet indignissimæ culpæ reos faciamus. In quo si quid hactenus omissum fuit ab ijs, quorum ea im-

primis cura eſſe debuit, ſpero equidem fore vt in poſterum ſimus cautiores, præſertim quando aſsidua aduerſariorum importunitate vrgemur, qui nullum faciunt ſcribendi, nouiſque rebus ſtudendi finem. Sed vt reuertamur ad Sanderi viſibilem Monarchiam, cuperem quidem eum librum iamdudum eſſe ab aliquo noſtro refutatum, & quicquid iſti ſcribunt, mihi videtur neceſſarium vt iuſta veráque reſponſione diluatur. Etſi enim multa ab ijs eduntur, quibus nihil inſulſius cogitari poteſt, ſi rem ipſam ſpectemus: tamen fieri ſolet vt quæ nos meritò contemnimus, alijs mirificè placeant, nullumque ſcriptum ſit tam ineptum & puerile, quo non iſtorum clientes egregiè delectentur. Alia verò horum ſcripta ſunt, quæ quanquam

poſſunt

possunt ab homine docto facilè refutari, tamen contemni minimè debent, cum ijs nihil in illo quidem genere perfectius prodierit. Quo in numero hunc Sanderi de Ecclesiæ monarchia librum repono, qui licèt infinitis abũdet falsis & sophismatis, scripturas in sententiam torqueat inuitas alienam, regnum Pontificis ruinosum fulciat, id tamen probabiliter & callidè & peritè facit, vt non tantùm ignaros homines fallere, sed attentis etiam & exercitatis lectoribus oculos præstringere nonnunquam possit.

Huius operis postrema pars est de Antichristo, in qua Sanderus vehementiùs quàm antè sudauit, vt Pontificem Romanum non esse Antichristum necessarijs argumentis euinceret. Quicquid enim prius attulerat,

aut quomodocũque præclaram Monarchiam conſtruxerat, id totum nihil valere potuit, ſi Pontifex eſſet Antichriſtus. Quare cauſam hanc omnem de Antichriſto multis verbis explicare voluit, vt Pontificis ſui famæ conſuleret, & Monarchiam inſtitutam exædificaret, & Antichriſtum à regno Pontificio remoueret. Illam autem verboſiſſimam diſputationem Demõſtrationibus quibuſdam complexus eſt, numero Quadraginta, quarum eam vim eſſe voluit, vt vnaquæq; Pontificem non eſſe Antichriſtum comprobaret. Eſt enim Demõſtratio eiuſmodi genus argumenti, quod fidem neceſſariam facit, vt vel vnica è certis ſuis veriſq́ue principijs ſumpta, per ſe ſola doceat, quod inſtituit, nec amplius aliquid deſideret. Iam ſi ſingulæ tantum efficere poſſunt

ſunt, tam multæ maximas ad perſuadendum & cogendum vires habeat eſt neceſſe. Ita hæ Sanderi Demonſtrationes, ſi non ſunt ψευδώνυμοι & παραλογισμοὶ, Pontificem non eſſe Antichriſtum abundè quidem docuerunt. Cũ ergo ſuperioribus Academiæ noſtrę Comitijs ſtatuerem hanc de Antichriſto quæſtionem proponere, atq; explicare, in eaque tractanda noſtrarum Eccleſiarum doctrinam ſententiámque ſequi, quam ſcripturis conſentaneam eſſe exploratum ac perſuaſum habeo, nihil me vel ipſi cauſæ, quam defendendam ſuſceperam, commodius, vel noſtris hominibus gratius facturum exiſtimaui, quàm vt has Sanderi celebres Demonſtrationes, noſtræ defenſioni palam aduerſarias, diſcuterem, ab ijſque, vel inuitis, ne poſthac nobis moleſtę eſſe

vellent, impetrarem. Et quanquam nonnullæ ita ſunt vel aniles, vel pueriles, vt in ijs refutandis ſuperuacaneum videri poſſet elaborare, nullam tamen volui ſine reſponſo dimitere, quia & Sanderus, vir apud ſuos tantus, non erat contemnendus, & cuiuſmodi principijs fulta ſit Theologia, cauſaq́ue pontificia, noſtris omnibus perſpectum eſſe cupiebam. Si enim his argumentis res ac religio Romana ſtat, & nos confidere poſſumus illam breuì certiſsimè ruituram, & illi nullam cauſam habent, quamobrem aut ſibi tam multa tribuant, aut nos tam faſtidioſè & inſolenter contemnant. Vtcunque enim ſibi placent, cæteros deſpiciunt, quaſi cũ illis vera doctrina ac ſapientia & nata fuerit, & peritura ſit, tamen verẽdum non eſt, ne dum iſto modo ſcribunt,

nos

nos lectionis & ſcientiæ ſuæ magnitudine obruant: & quando verbis glorioſi eſſe volunt, argumentis tam inepti & miſeri ſunt, quid aliud faciunt, quàm deſperationem ſuam produnt, & ſe peritis hominibus, qui rationum momentis, non calumnijs magnificis ducuntur, ridendos exponunt? Ego quidem etſi ijs nihil magnopere detraham in quo illi excellere volunt, quando tamen rem omnem conſidero, & his patronis cauſam talem, & huic cauſæ tales patronos contigiſſe lætor. Tanquam enim Cantherij in foſſa, quo magis ſeſe mouent atque agitant, tanto ſuorum errorum lacunis depreſſiùs immerguntur, & hærent, & ſe expedire nequeunt. Has autem Sanderi Demonſtrationes cum noſtra Refutatione coniunctas tibi, Nobi-

lissime Cecili trado, petóque vt alterum hoc nostrum pro religione responsum accipias, tuoque patrocinio defendas. Si verò ipse minùs potes, propter multiplices tuas & grauissimas occupationes, legendis istis vacare, spero tamen non hunc omnino tibi ingratum hospitē fore, præsertim cum ei dederim in mandatis, ne te molestiùs interpellet, & se clientem verecundum præbeat. Dominum Iesum obtestor vt te spiritus sui donis magis indies, magisque cumulet, atque Ecclesiæ nostræ, reique publicæ incolumem diutissimè conseruet. Vale: Cantabrigiæ. 9. Calend. Ianuar.

Amplitudinis tuæ studiosissimus
Guilielmus Whitakerus.

AD CHRISTIA-
num Lectorem præfatio.



LTER nunc annus agitur, lector in Christo charissime, ex quo ego meam religionis, ecclesiæque nostræ defensionem contra Edmundi Campiani importunas calumnias editam maximis certaminum tempestatibus exposui. Neque enim aliter tunc mihi persuadere potui, quin breui nouus aliquis, & Campiano nostro similis theologus prodiret in aciem, qui & illam causam tueretur, quam Campianus ipse coactus est aliorũ patrocinijs relinquere, & scribendi quodam vehementissimo impetu in meum librum inuolaret. Cum enim aduersariorum maximas copias considerarem, & nota mihi esset illorum hominum alacritas ac confidentia, à quibus & libri plurimi intra paucos annos emissi fuerant, & indies fere aliquid emanabat, incredibile profectò putabam, vt ego, qui non modò hiscere sum ausus contra Campianum, sed ei etiam ad omnes superbissimæ accusationis partes respondere, non mox librorum, & aduersariorum multitudine obruerer. Nec quidem ignoro, quæ hominum fuerit hoc omni tempore expectatio, quæ fama aduentantis ex vltima Gallia hostis, qui circumforaneus editæ iam atque ad me perlatæ Refutationis rumor, in triuijs circulisque sparsus. Ex quo parturire istos aliquid, quod suo tempore pariant, facilè possum suspicari. Et quidem audio iam nunc tandem istum in lucem prodijsse partum, qui si intelligeret, quàm mihi futurus esset minimè molestus, celerius aduolaret, suique aspiciendi copiam faceret. Quem dum

ero nactus, vt qualis sit cognoscam, penitúsque excutiam, interim mihi necessarium esse iudicaui, vt Gregorio Martino Theologiæ in collegio Remensi professori nonnulla responderem. Is nuper librum edidit aliquot annorum studijs elaboratum, atque à suis auidè expectatum, in quo nostras Bibliorum vernaculas editiones grauissimè reprehendit. Hic ego in multis locis perstringor nominatim, vt me quodammodo sibi delegisse, in quem sæpiùs excurreret animi causa, videretur. Librum hunc omnem iniustissimis & ineptissimis criminibus plenum alij discutient, mihi in animo est in ijs duntaxat diluendis versari, quæ me attingunt, & contra librum meum proiecta sunt.

In præfat. Num. 7.

Et primùm initiò statim in ipsa præfatione accusor impudentiæ, quòd Epistolam Iacobi *stramineam* à Luthero vocatam esse negauerim, cum id illi esset à Campiano obiectum. Si quidem, Martine, scirem tale aliquid Lutherum vnquam de hac epistola scripsisse, quale Campianus affirmauit, eram impudens, qui negarem, & tua etiam acerbiore reprehensione dignus. Sin verò postquàm omnem diligentiam adhibuissem, vt verum cognoscerem, Lutheri omnes in nouum Testamentum præfationes, quas videre potui, perlegissem, multos libros consuluissem, nusquam hoc verbum reperissem, visus mihi sum tutò posse falsum pronunciare, quod mihi nullis indicijs constabat esse verum. Non enim impudens censendus est, qui quod nescit esse verum, verum esse negat, sed qui, quod nouit esse verissimum, id fallendi causa falsum esse defenderit. Ego verò tantum istuc abest, vt tum esse verum cognouerim, vt nunc multò magis, quàm vnquam, credam esse falsum.

Rogas tu quidem, an tibi necesse sit id mihi nunc probare? Fuit id certè facile, si quid eiusmodi in Lutheri libris extaret, qui palam venales sunt, & à vobis odiosissimè excutiuntur. Cur non verba proferebas, locum indicabas, rem clarissimè demonstrabas? Hoc tibi forsan, Martine, minùs commodum fuit: Itaq; me ad Doctorem Fulconem, ad Caluinum, ad Illyricum remittis, *qui mihi id*, inquis, *verissimum fuisse renunciabunt*. Nunquam me ad hos

hos abire iussisses, si ipse mihi satisfacere potuisses. Sed tamen feci, vt monuisti, & primùm doctissimum Fulconem coram conueni, ab eoque de hac ipsa re quæsiui, qui mihi palàm respondit, id se penitus nescire, & te de illo falsum affirmasse. Posthac ipse poteris, si placet, hoc idem ab illo quærere si mihi ista referenti minùs credis. Caluinus verò, & Illyricus, quid tandem dicunt? Epistolam hanc à Luthero *stramineam* esse dictam? Nihil verò minùs, & hîc impudentem me fatebor, si vocabulum istud aut in Caluini, aut in Illyrici argumento epist. Iacobi inueneris. Caluinus id tantùm docet causam esse nullam, quamobrem hanc epistolam quidam non suscipiant: Illyricus graues causas à Luthero commemorari dicit, cur hæc epistola *pro Apostolicæ autoritatis scripto* haberi nequeat. Sed quid hoc, quæso, πρὸς ἔπος quasi qui hanc epistolam negat esse Apostolicam, is eam stramineam vocet. Etsi Lutheri de hac epistola iudicium non probo, tamen de illa tam probrosè loquutum esse Lutherum nôdum intelligo.

Verùm id me Censor ille personatus docebit in defensione censuræ suæ, quam proximis hisce mensibus contra Guilielmũ Charcum, meũ in Christo fratrem charissimum, edidit, author imprimis maledicus & virulentus. Hic iterum nobis impudentiam exprobrat, quia Campiano hoc de Luthero asseueranti minimè credidimus. Sed de ista impudentia stuum erit, lector, iudicare. Scripserat Campianus Epistolam Iacobi *stramineam* à Luthero appellari: atque vt fingere nihil videretur, Lutheri præfationem in Epistolam Iacobi indicarat, ex qua id ita esse intelligeremus. Præfationem Campiano obtulimus, vt locum ostenderet iussimus. Ille vt librum inspexit, repulit, quia quod voluit, ostendi nunquam posse satis intellexit. Nósne verò impudentes fuimus, qui, quod ille obiecit, falsum esse verissimè diximus, an ille potiùs non bonus author fuit, qui scripsit, quod scriptum non oportuit. At ego omnium impudentissimus, qui (quod omnes exteri rideant) latinè etiam edidi, hanc epistolam nunquam vocari à Luthero *stramineam*. Cur aut mea scripta

exteri rideant, aut mei me pudeat, ſpero cauſam eſſe nullam: tam certè abſum ab impudentia, quàm iſte ab omni pia ac Chriſtiana modeſtia. Præter enim Hieronymum Bolſecum, quem hic ferè tranſtulit in ſuum librum, non facilè credo quenquam poſſe immodeſtiorem reperiri. Verùm hic noſter locum ipſum inuenit, quem nunquam poſſe inueniri ſperabamus. *Sic enim*, inquit, *Lutherus ſcripſit in præfat. in nouum Teſtamentum: Iacobi autem epiſtola, præ illis, ſtaminea eſt*: atque eadem Lutherum in præfatione epiſtolæ Iacobi in Teſtamento Germanico habere affirmat. Equidem lætor de verbis tandem conſtare: nunc enim quid ſit, quod Luthero toties, atq; à tam multis obiectum fuerat, intelligo. Credideram ego diſertè Lutherum, vt erat homo apertus & ſimplex, Iacobi epiſtolam vocaſſe *ſtramineam*: nunc aliter eſſe ſentio: Non enim planè & ἁπλῶς *ſtramineam* appellauit, ſed præ Pauli ac Petri epiſtolis *ſtramineam* dixit. Quid? nihil inter iſta cenſes intereſſe? Si te præ Sandero, & Campiano *ſtamineum Theologum* eſſe dico, ſiccine hoc verbum accipies, quaſi te Theologum ſtramineum vocem? De cæteris verò contumelioſis illis vocabulis, quibus epiſtolam Iacobi notatam à Luthero ſcripſit Campianus, quamobrem nullam mentionem feciſti? Oſtendi enim oportet non modò *ſtramineam* eſſe hanc à Luthero nominatam epiſtolam, ſed *tumidam* etiam, & *aridam*, & *contentioſam*. Scripſiſſe quidem quodam in loco Lutherum fateor, Iacobi epiſtolam non eſſe cum Pauli ac Petri epiſtolis conferendam, ac poſſe pre illis *ſtramineam* iudicari: quam vocem etſi non defendo, tamen iniuriam Luthero factam eſſe meritò quando poſſum affirmare quia hanc præ illis *ſtramineam* epiſtolam vocauit, proinde omnino ac diſertè *ſtramineam* appellaſſe, & tanquã *ſtramineam* repudiaſſe accuſatur, præſertim cũ hæc verba nuſquã in recentioribus libris reperiantur, & ego niſi caſu in antiquiſſimam editionem incidiſſem, in poſterioribus fruſtra quæſiuiſſem.

Redeo ad te, Martine, & quòd quæris, quamobrem Iacobi epiſtolam approbemus, quam olim repudiatam eſſe legimus, nec tamen Tobiam, Eccleſiaſticum, Maccabæorum

cabęorum

cabæorum libros suscipimus, quia erant aliquando explosi, id te quærere miror voluisse, cui tam facilè sciebas posse responderi. Nam tota Ecclesia Iacobi epistolam non improbauit, & qui illam improbarunt, id nullis certis rationibus commoti fecerunt. At hos libros, quos tu nominas, tota olim Ecclesia repudiauit, nec ij scripti sunt Hebraicè, cum nulli libri veteris testamenti canonici sint, nisi illi tantùm, quos Dominus veteri Ecclesiæ commendauit. Verùm hîc me mihi contrarium esse dicis, cum tu potiùs non attendas, quid scripserim. Id enim affirmo, quod principio statim non habet diuinam authoritatem, non posse tempore & hominum approbatione fieri diuinum, vt si olim meritò reiecta fuerit Epistola Iacobi, ea pòst nunquam possit hominum iudicijs in librorum Canonicorum numerum cooptari. Huiusmodi sunt illæ reliquæ ἀντιφάσεις, quibus tu meum librum plenum esse dicis. Sic tu, Martine, libros potes vno verbo refutare.

De Tobiæ verò Raphaele, & Ecclesiastici loco, & Iudæ in 2. libro Maccabæorum insomnio sic plenè sentio, quemadmodum scripsi, nec quicquam video, quamobrem sententiam mutare debeam. Hos autem ecclesia Anglicana non legit vt Canonicos, sed pro Apocryphis habet, etsi quarundam partium lectionem informandis hominum moribus idoneam esse existimat, in quo veteris ecclesiæ exemplum iudiciumque sequitur. Sic enim Hieronymus, *Iudith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem ecclesia, sed eas inter Canonicas scripturas non recipit*. Sint hi libri vobis Canonici, Martine, quandoquidem tam acres in illorum authoritate comprobanda nuper esse cæpistis, tamen & erant olim Apocryphi, & nobis neque sunt, neque erunt vnquam Canonici, quia quod semel est Apocryphum, id nunquam esse potest Canonicum. Digna est ecclesia vestra, quæ his scripturis nitatur, & quia libri Apocryphi ad omnes superstitiosæ religionis partes non sufficiunt, traditiones etiã Apocryphas adiungitote. Deinde id tibi, Martine, displicet, quod Lutherum posse dixerim mille Augustinos, Cyprianos, ecclesias aduersum se nihili æstimare. Si se Lutherus omnibus pa-

Hiron. præfat. in Pro. Salom.

Num. 15.

tribus & ecclesijs prætulisset, ferendus nõ fuisset: sed tantũ sibi Lutherus nunquam arrogauit. At in quibusdam causis potuit Lutherus suum iudicium pluris facere, quàm vel Augustini, vel Cypriani, vel mille ecclesiarum authoritatem. Si enim quod docuit Lutherus, id Dei verbo consentaneum fuit, erat Lutheri iudicium omnibus omnium hominum repugnantibus sententijs anteponendum. Veritas enim non potest aut doctrinæ, aut multitudinis, aut antiquitatis opinione præponderari. Panormitanus scitè scripsit, *plus credendum est vel simplici Laico scripturam proferenti, quàm toti simul concilio*. Scripturam verò Lutherus protulit, cui nullus mortalis resistet, quæque tandem Pontificijs decretis pestem atque exitium afferet. Hæc erant, quæ mihi in præfatione tua obijcis: nunc ad librum accedo, in quo nonnulla etiam mea carpis, & verborum acriores stimulos adhibes. Responderam Campiano Sacerdotum ordinem requirenti, *nullos nunc esse in ecclesia Christiana sacerdotes*. Id semel atque iterum reprehendis, & Augustinum adducis, qui in vna verborum complexione duplex genus sacerdotum constituit, quos & propriè sacerdotes vocat, & qui communi nomine sacerdotes dicuntur, quales sunt omnes Christiani. Si nomen sacerdotum negarem cuidam hominum generi tributum esse, tanquam magis proprium & peculiare, isto Augustini testimonio refutarer. Episcopos enim & presbyteros olim singulari quadam ratione dictos esse sacerdotes constat. Sed est in hoc verbo κατάχρησις, cum pastores & presbyteri, qui verbum & sacramenta tractant, sacerdotes appellantur. Sacerdotes enim ij verè & propriè sunt, qui sacrificia faciunt, qualis fuit Aaron, & Aaronis filij, & Melchisedecus, &, quem illi adumbrabant, Christus. Tales dico nullos esse post Christum ipsum noui Testamenti sacerdotes, qui est æternus sacerdos secundùm ordinem Melchisedechi, & sacerdotium obtinet ἀπαράβατον. Hic sacrificiorum omnium finem fecit, sacerdotumque successionem sustulit, & pastoribus ac doctoribus ecclesiam in perpetuum regendam reliquit, nouos nullos sacerdotes instituit, nec Sacerdotum vllam mentionem

Cap. 6. pag. 74.

August. de ciuit. Dei lib. 20. cap. 10.

Heb. 7. 14.

onem fecit. Vestri ergo sacrifici Baalitæ sunt, ex omnibus Christi ecclesijs exterminandi, atque ad Antichristum suum, à quo profecti sunt, relegandi. Sic ergo meum accipe de sacerdotibus responsum, Quisquis se noui Testamenti sacerdotem vocat, is Christi sacerdotium tollit, & vos in Christum blasphemi estis, quando tam multos Christo vel collegas sacerdotij, vel successores datis. Nos illo ministerio contenti sumus, quod Christus in sua ecclesia perpetuum esse voluit: qui sacerdos esse vult, nouũ sacerdotium quærat est necesse. Sed transeo ad alium locum, in quo multa Martinus iste de libro meo transcripsit in suum, atque id grauissimè exagitat, quod pœnitentiam à Cypriano alijsque patribus deprauatam esse scripserim. Cypriano nullam, aut patri cuiquam iniuriam feci, qui si reuiuiscerent, errores suos reprehendi non iniquo animo paterentur. Cum aduersarijs autem nostris sic agitur, vt nisi valere possint, quæ sunt in patribus vitiosissima, causam suam amplius tueri nequeant. Pænitentiam quidem dixi non in pœnis quibusdam externis, & exquisita quadam disciplinæ seueritate, quam Apostolus ἀφειδίαν σώματος vocat, qua corpus quasi supplicijs quibusdã volũtarijs cruciatur, sed in interno dolore ex peccatorum recordatione suscepto, & vitæ emendatione consistere. Patres verò, dum his pœnarũ molestijs sua peccata cõpensari, Deumque placari posse existimabant, grauiter errasse, & vim mortis ac sanguinis Christi, quo solo nostra peccata expiantur, nonnihil minuisse. Non enim ex vlla omnino re peccatorum nostrorum venia, præterquam ex Christi sanguine expectanda est. Et quanquã hîc veteres plærique patres lapsi aliquantisper sunt, hoc tamen non malitiæ, sed imprudentiæ potiùs, & disciplinæ vindicandæ studio vehementiori tribuendum est. Itaque & erant interim fideles ac sancti, (nisi forsan sanctus esse nemo potest, qui semel errarit, aut minùs quàm oportuit, consultus fuit,) & ego illos tum etiam potui sanctissimos appellare, quando erroris accusaui. At potui, inquis, eiusdem erroris Paulum insimulare, qui nos Christi cohæredes fore dicit, si modò cum eo patimur, vt vna cum il-

Cap. 13. pag 205. &c.

Coloss. 2. 23.

Rom. 8. 17.

lo glorificemur. Atque hic insultas, *Paulus ait, cum Christo pati necessarium esse ad salutem, VVhitakerus ait, cum Christo pati iniuriosum esse Christi passioni.* Quis non tuum Martine acumen egregium miretur? Cælestis vita & gloria, est Dei donum, ergo non nostris studijs comparatur: & nos hic hæredes Dei, & Christi cohæredes Apostolus vocauit, ergo regnum Dei gratis ex hæreditate & adoptione in Christo nobis constat. Hinc sequitur nostras perpessiones non esse efficientes causas salutis & gloriæ æternæ, quemadmodum tu ineptè disputas, sed tamen nobis esse necessariò subeundas, nisi ex gratia & gloria excidere volumus. Perinde est, quod de ieiunio, precibus, supplicijs subiungis. Sunt hæc nobis præstanda, nō vt hoc modo regnum cœlorum mereamur, sed vt fidem nostram testemur, & Christum sequamur, qui nos sibi similes esse voluit. Si media potuisses à causis efficientibus distinguere, nunquam fuisses hoc genere argumenti vsus, & illam exclamationem omisisses, quæ sequitur, *Hæccine est Theologia, quam nunc Anglia profitetur?* Hæc illa est, Martine, Theologia, quam nunc Anglia profitetur, & spero perpetuò profitebitur, omnem peccatorum remissionem & vitæ cælestis spem in vno Christi solius sanguine positam esse, nostra autem facta omnia, cuiuscunque tandem generis fuerint, non precia esse gloriæ æternæ, sed fidei ac pietatis officia. Quòd verò patres ais sic prorsus de pœnitentia loquutos esse, vt vos nunc soletis, id quidem falsum est, & nos nunquam confessi sumus.

Rom. 6.23.

Scribunt interdum patres nostrum esse Deo indignanti satisfacere, Deū nostra satisfactione placari, Deū promereri, delicta nostra redimere: quæ quanquam parùm cōmodè dicta sunt, his tamen nihil omnino aliud intelligi ac significari voluerunt, quàm peccatorum veniam, Deique gratiam flagitandam & exorandam esse, adhibitis illis etiam externis pœnitentiæ actionibus, lachrymarum, ieiuniorum, vigiliarū, eleemosynarum, id quod ex vno Cypriano cognosci potest in multis locis clarissimè, in epistola 55. in libro contra Demetrium, in sermone de lapsis. Verùm vt hic errasse patres nonnihil demus, quemadmodum

dum mox errores post tempora Apostolorum in ecclesiis irrepserunt, tamen hi patrum errores, si cum vestris conferantur, aut leues admodum, aut nulli videantur. Ita vbi illi interdum titubarunt, vos præcipites ruistis, nec erigi vultis. Nam quod ad præcipuas partes religionis attinet, verissimum est, quod scripsi, eandem nunc in nostris ecclesijs fidem doceri ac prædicari, quam patres antiquissimi tenuerunt, nec vereor illam doctissimi Iuelli prouocationem, quam hic commemoras, renouare, si tu illam audes accipere. Articuli sunt viginti septem, in quibus vis maxima Pontificiæ religionis consistit: ex his omnibus elige quem voles, ego me tibi aduersarium in causa, dum viuo, fore spondeo. Sed hæc controuersia iamdudum refrixit, nec tu illam potes instaurare. Nam tua facultas in Grammaticis quibusdam verborum aucupijs, & puerilibus minutijs consistit, ad altiora non assurgit.

Venio nunc ad aliam accusationẽ tuam, quæ quanquã te magnopere delectat, tuam tamen inscitiam egregiè prodit. Petri Apostoli de Christo verba, *ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι*, Beza sic transtulit, *Quem oportet quidem cælo capi*: idque ob illam duntaxat causam, vt amphiboliam vitaret. Nam ista verba, *Quem oportet cœlum capere*, sic in oratione posita sunt, vt vel Christus cœlum, vel cœlum capere Christum intelligatur. Cum ergo Petrus id dicere & docere velit, necesse esse, vt cœlum capiat Christum, vsque ad illa tempora, quando omnia restituentur, hanc sententiam Beza commodissimis verbis fidelissimè reddidit. Si enim cœlum capiet Christum, tum vt cœlo Christus capiatur est necesse, quod te vel sensus ipse communis docere potuit. Dic enim obsecro, Martine, si te schola capit, & cõtinet, nónne tu schola caperis ac contineris? Tamen quasi tu solus saperes, mirari te dicis, Whitakerum vel decipi alterius interpretatione potuisse, vel ipsum sic ignarum fuisse, vt verbum Deponẽs putarit esse Passiuum. Si *δέξασθαι* passiuum esse credidissem, equidem vt dicis ignarus admodum linguæ Græcæ fuissem: sed quomodo quisquam tàm indoctus esse potuit, vt sic erraret, cum ipse casus nominis id nullo modo patiatur. Si enim *δέξασθαι*

Cap. 17. pag. 257. &c.

Act. 3. 21.

esset *passiuum*, tum sic Apostolus dixisset ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι. Itaque nisi ieiunus admodum reprehensor fuisset, hanc ignorãtiam nulli vnquam obiecisses. Scribit Apo-

1.Cor.2.14. stolus ad Corinthios, ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ: si ista sic transferam, *Quæ sunt spiritus Dei ab homine animali non percipiuntur*, an δέχεται verbum *passiuum* faciam? Et tamen verum erit hoc genus interpretã-

Plato in Apol. Cicer. 1. Tuscul. di, atq; optimis interpretibus tritum. Cicero non malus interpres fuit, quando hæc Socratis apud Platoné verba, ἔγωγε τοῖς καταψηφισαμένοις μου οὐ πάνυ χαλεπαίνω, sic Latinè vertit, *Nec ego ijs, à quibus condẽnatus sum, habeo quod succenseã*. Verùm, Bezæ interpretationé Nazianzenus cõprobat, atq; has inertissimorum hominũ calumnias clarissimè refellit. Petri enim verba isto modo reddidit Gregorius

Nazianzenus de filio concione 2. Nazianzenus, δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, id est, *A cælo recepi eum oportet, vsque ad tempora restitutionis*. Si hunc Gregorium noster Gregorius consuluisset, de verbis suis *deponentibus & passiuis*, déque hoc omni loco tacuisset.

Cum ipse, inquis, sic fuerim imperitus, non debui Cãpiano Græcæ linguę inscitiã exprobrare, præsertim quãdo illum audiuissem & legentem & interpretantem Basilium. Hoc quidem, Martine, falsissimum est, & nunquam ego Campianum Græcè aliquid legentem audiui, & qui Basiliũ à Campiano & lectum & expositum esse tibi narrarunt, hos meritò potes mendacissimos appellare. Testes sint qui præsentes aderant, si vocem vllam Campianus Græcam eo die nobis audientibus emiserit. Quanquam si fuisset in hac lingua doctissimus, quid hoc ad rem fecisset. Nunquam ego veram solidámque scientiam in literis ac verbis positam esse iudicaui: quanquam non debuit Campianus, qui totam ecclesiam nostram prouocauit, esse huius linguę, quam nunc ferè docti omnes didicerunt, ignarus. Sic autem nos omnes discessimus à Campiano, vt illum planè rudem esse Græci sermonis pro certo haberemus. Enimuero siqua Græca habuit, sibi seruauit, & multa habere potuit, quia edere nulla voluit. Verũ ad te redeo, qui me multò in Theologicis grauiùs peccasse dicis, quòd

hinc

hinc concluſerim Chriſti corpus naturale in ſacramento non eſſe, quia in cœlo collocatur & continetur. Si Chriſti corpus naturale eſt, noſtriſq; corporibus ὁμοιούσιον, tum nõ niſi in vno loco contineri poteſt, & ſi eſt in cœlo, non eſt in ſacramento: at Chriſti corpus eſt verum, naturale, humanum corpus, noſtris corporibus per omnia ὁμοιούσιον, ſi modò illam gloriam & immortalitatem excipias, quam nunc habet, & illud Chriſti corpus nunc cœlo cõtinetur, vt Petrus ait: non eſt igitur in Sacramento, nedum in ſacramentis infinitis. Hoc argumentum tuos impetus non pertimeſcit. Nam ſi Chriſti corpus ſimul eſt in cœlo, & in Sacramento, tum Chriſtus duplex habet corpus, aut potiùs infinita corpora: ſed hoc falſum eſt, ergo illud. Deinde, ſi Chriſti corpus loco aliquo cœli circumſcribitur, omneſque veri corporis proprietates retinet, & ſimul idem corpus in ſacramento eſt ἀπερίγραπτον, ἀόρατον, nec ea habet, quæ propria ſunt corporis, tum poſſunt de eodem corpore contradictoria affirmari, eritque idem corpus ſimul totum viſibile, inuiſibile, circumſcriptum, incircumſcriptum, verum corpus, non verum corpus: at hoc fieri non poteſt, quare quod primo loco poſitũ eſt, ἀδύνατον eſſe perſpicimus. Si hæc tibi Theologia non placet, Cyrillum, Martine, bonum imprimis Theologum audi: *Nullus*, inquit Cyrillus, *ambigit, cum ad cœlos aſcenderit, quamuis virtute ſpiritus ſemper adſit, præſentia tamen carnis ipſum abeſſe*. Et Damaſcenus ſcribit, τὸ περιγραπτὸν ἔμεινε περιγραπτὸν, καὶ τὸ ἀπερίγραπτον, ἀπερίγραπτον· τὸ ὁρατὸν, ὁρατὸν καὶ τὸ ἀόρατον, ἀόρατον. — *Cyril. de Trinitate lib. 2.*

At Chryſoſtomus, inquit Martinus, docet *Chriſtum & ſuam carnem nobis reliquiſſe, & eandem habentem aſcendiſſe*. Reſpondeo, Martine, Chriſtus carnem ſuam in cœlo collocauit, & tamen huius carnis ſacramentum nobis reliquit, eaque perpetuò præſente fides noſtra fruitur. Nam ipſam carnis ſubſtantiam non magis in terra reliquit, quàm ſuum corpus Elias, quando in cœlos aſcendit. Sic enim de Elia Chryſoſtomus paulò antè ſcripſit, *Et erat poſthac duplex Elias ille: & erat ſurſum Elias*, — *Chryſoſt. hom. 2. ad populũ Antioch.*

& deorsum Elias. Dic verò Martine, erátne Elias ille σω-
ματικῶς in terris, quando Meloten demisit Elisæo? Non
id, opinor, affirmabis. Sic verum est, quod scripsit Chry-
sostomus, Christũ & carnem suam nobis reliquisse συμ-
βολικῶς, & eandem tamen in summos cœlos subuexisse
Chryso. lib. 3. de Sacer. σωματικῶς. Sed iterum obijcis Chrysostomũ sic loquen-
tem, *O miraculum: qui cum patre sursum sedet, in illo temporis
articulo omnium manibus pertractatur*. Responsionem ex
ipso loco referes Hic enim Chrysostomus ait, nos in cæ-
na Dominum immolatum cõspicere, & turbam sanguine
intingi ac rubere, atque hoc fieri circumspicientibus om-
nium circumstantium oculis. Quis autem vel dominum
verè immolatum conspicit, vel sanguinis guttulam vnam
sentit, qua tamen tinctam esse turbam, idque sic vt omnes
videant, Chrysostomus scribit. Sicut ergo & Christum
immolatum, & populum sanguine imbutum videmus, sic
illam manibus nostris tractamus. Voluit his verbis Chry-
sostomus & sacerdotum dignitatem amplificare, quibus
Christus corporis ac sanguinis sui sacramentum procu-
randum tradidit, & populo metũ inijcere, vt qui ad hanc
cænam accedunt, pias ac religiosas mentes adferant, qua-
si sint ipsum Christum manibus suis tractaturi. Notum
est Chrysostomi incitatum & incensum, & sublime ge-
nus dicendi, ac persuadendi, quod nemo est, nisi tui similis
Theologus, qui non molliùs leniúsque interpretandum
esse fateatur. Sed quorsum in his Martini nugis refellen-
dis insistimus? ad cætera progrediamur.

Bezam Martinus vbique ferè insectatur, ex quo mag-
nam proculdubio laudem sperauit. Ita nostri Pygmæi
Bezam lacessere nunquã desinunt, quos ille, si aspicere
semel posset, insutos in culeum allideret. Æquum verò
fuit, vt si quam in Bezam litem literariã inferre voluisses,
cum ipso coram potius egisses. *Scribat contra illum aliquis
vir*, vt inquit Hieronymus, *cuius & ille linguam intelligat:
quem cum vicerit, omnes homines simul viceris*. Quid nunc
verò est, in quo Bezam reprehendis? Nouum nihil ha-
bes, vetera renouas. Locus est apud Lucam in Cap. 22.
quem Beza aliter conuertit atque isti volunt. Illa verba

Hierom. ad Domni.

Luc. 22, 20.

Euangelistæ,

Euangelistæ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, non de *poculo sed de sanguine* Beza interpretatur. Hic Martinus vehemens est, vímque omnem ingenij huc intendit, vt istam interpretationem Grammaticis suis fretus euertat. Quid ergo? vísne illud ipsum poculum, quod tunc in manibus Christus tenuit, pro nobis effusum esse? Sic omnino est necesse, nisi Grammaticam dimittis. Non id volo, inquis, sed poculum pro sanguine sumitur, quem tunc Apostolis suis Christus in illo poculo propinauit. Esto: verùm vt poculum dicas esse sanguinem in poculo inclusum, annon est τροπικόν? Quid ergo nobis succensetis, quãdo ipsi vos in his verbis Tropum inesse conceditis? Vobis licebit tropos fingere, nobis nefas erit vnum necessariũ tropum statuere? Sed pergamus hanc tuam Grammaticã persequi. Verba hæc sunt, *Hoc poculum est nouum Testamentum in sanguine meo*, id est, si Martinum interpretem sequimur, Hic sanguis, est nouũ Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur. Quis horum sensus est, Martine, & quis hic duplex sanguis est? Nõne hic manifestam ταυτολογίαν vides interpretationis tuæ? Quare cum hanc sententiam absurdam esse constet, quis non multò magis probet, vt cum Beza vel Solœcophanes in verbis inesse putemus, vel cum Basilio legamus, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ.

Hic mihi ad Basilij exemplum Martinus respondet, *Basilium non citasse verba, sed sensum Scripturæ.* Ergo Beza, quando sic transtulit, à sensu nihil aberrauit. Ita Bezam Martinus, quem accusauit, nunc palam absoluit. Si enim Basilij verba sensum verum referunt, & cum Basilij verbis Bezæ, nostrûmque omnium interpretatio consentit, sensum Scripturæ à nobis hîc corruptum esse, falsum crimen fuit. Sed aliud etiã est quod prætermittendum à te non fuit. Nam hic liber ἀσκητικῶν ex ipsis duntaxat scripturarum verbis totus constat, quemadmodum si inspexisses, perspicere mox potuisses. Proponit quidem Basilius capita quædam, & titulos locorum suis verbis: subiungit autẽ in explicatione nullum verbum suum, sed ipsa duntaxat Scripturæ testimonia, nec sensum verborũ, sed ipsa

Basil. in Ethic. ὅρῳ κα. cap. 17 pag. 261.

verba, & τὸ ῥητὸν consectatur.

Respondi plura, Martine, tibi, quàm aut otium meum tulit, aut tua accusatio postulauit. Si tibi vel in eo libro, quem contra Campianum scripsi, vel in isto, quem nunc edo, minùs satisfacio, & placet mecum deinceps cõtendere, facio tibi copiam in me, quantum voles, irruendi: nec doctrinam, nec acumen, nec eloquentiã tuam reformido. Legi quidem librum tuum, quem olim Campianus promisit, tu nuper præstitisti: in quo vitia Trãslationis Bibliorum nostræ indicare ac prodere voluisti. Etsi amaui antè trãslationes nostras, nunc tamen multò magis amo, cum video tam pauca in ijs, tamq; exigua & leuia ab ipsis etiam inimicis posse reprehendi. Quis enim vnquã fuit tã cæcus malitia aduersarius, vt nostras versiones non sentiat à te esse sine iudicio, sine doctrina, sine causa improbatas? Παραδόσεις à nostris nunc *instituta*, nunc *ordinata*, nunc *præcepta* dicũtur: Εἴδωλα *Imagines* vocãtur: Ἐκκλησία *Congregationis* verbo exprimitur: Πρεσβύτερος, *Senior* appellatur: Μετανοεῖν idem valet, quod *Resipiscere*, Μυστήριον, quod *Mysterium* aut *Arcanum*, Εὐχαριστία, quod *gratiarum actio*, Κεχαριτωμένη, quod *gratis dilecta*: Ὁ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, sic redditur, *Deus non potest tentari malis*. Quid hîc quisquam non rectè commodéque versum fateatur, aut quis non illum nimis improbum, & importunum reprehẽsorem esse iudicet, qui cum nihil possit grauius proferre, omnes Ecclesiarum nostrarum versiones vernaculas propter hæc vitia, quæ nulla sunt, repudiandas ac dãnandas pronunciet? Tamen quemadmodum de suis quibusdam obtrectatoribus scribit Hieronymus, à quibus fuit propter quorundam locorum interpretationem reprehensus indignè atq; imperitè, vt nunc nos ab istis sumus, *hæc, & istiusmodi nugæ, nostra crimina sunt*. Miror verò, Martine, non tui te puduisse, non oculos hominum, tacitaque iudicia reformidasse, cum inertiam tuam, & inscitiam tam publicè testatam faceres.

Hieron. ad Pammach. de optim. genere interpretandi

Extat etiam tandem vestra quædam noui Testamenti vernacula translatio, ab illo vestro nouo Remensi collegio edita atque elaborata, cui nostram non esse similem pro-

fectò lætor. Neque enim ab orbe condito talis vlla vnquam reperta trãslatio fuit, qualis illa est, quam vos nuper extulistis, & vestris hominibus communi iudicio commẽdastis Siue enim verborum inusitatam & prodigiosam nouitatem, siue prophanas corruptelas, & quiduis peruertendi immanem audaciam spectemus, nulli vnquam hæretici vim Scripturis maiorem, aut iniuriam sacrosancto Iesu Christi Domini nostri Testamento illustriorem attulerunt. Qui sic scripturas in vllam linguam conuertunt, vt vos in nostram fecistis, eos meritò suspicari licet non id sibi proposuisse, vt Dei voluntatem in verbo declaratam populus intelligat, sed vt ipsum Dei verbum rideat & contemnat. Et quidem tantum abest, vt vestram hanc translationem nostræ causæ quicquam putem obfuturam, vt optem eam etiam ab externis hominibus legĩ potuisse, vt quando nouũ hoc genus interpretandi vestrũ, hactenus inauditũ, considerarent, Pontificiorũ desperationem & amentiã recognoscerent. Expressa tota est ad veteris latinæ editionis formã, quæ vt esset tam bona, quàm isti contẽdunt, tamen Archetypo preferri minimè debuit. Quid enim interpretandum suscepistis? Nõne scripturas? Quænam verò sunt Scripturæ? Quis nescit Dei verbum scriptum illud esse, quod Ecclesiæ suæ Dominus tradidit literis librisque proditum? Illa autem Dei oracula sunt ne Latinè à spiritu sancto edita, aut possunt alia lingua meliùs ac diuiniùs declarari, quã illa ipsa, qua spiritus sanctus vti voluit? Et quando spiritus sancti mentem consequi cupimus, id quomodo certiùs faciemus, quam si loquentem suis verbis spiritũ sanctum audiemus? Quod ita perspicuũ est, vt id ipsi pontificij necessariũ esse fateãtur, si modò hoc Archetypum integrum & incorruptum esset. Nunc enim & vetus Testamẽtum in Hebraico fonte, & nouũ in Greco corruptissimnm esse clamãt. Qamobrẽ verò? quid nostros põtificios cogit, vt Hebraicum Græcumq; fontẽ repudiẽt? Latinum illum vulgatæ editionis riuulũ consectẽtur? Cui dubium esse potest, id eam duntaxat ob causam fieri, quia hos fontes minùs sibi commodos esse perspiciunt? Si enim fontes satis propitios haberent inde potiùs hau-

rirent, quàm è lacunis & fæcibus deprauatæ translationis. Iam verò quando sibi certam perniciem imminere sentiunt, si ad ipsos fontes reuocentur, non ipsam modò scaturiginem purissimarum, & saluberrimarum aquarum fugere coguntur, sed quod absurdũ est, atque ab ipso sensu alienum, fontibus riuulos contendunt esse puriores. Si quis certò scire cupiat, quid quisquam antiquus & bonus author de re quacunque scripserit, ipsos, opinor, fontes adeat, & verborum momenta, quibus animi sui sententiam declarârit, expendat. Id in Platone, Aristotele, Hippocrate, Galeno, Cicerone, cęterisque faciendum esse omnes intelligũt, solùm scripturarũ verum sensum si volumus cognoscere, non illum in Hebraica Græcáq; Origine quam nobis spiritus sanctus reliquit, sed in Traduce Latinæ versionis, quæ incertum authorem habet, quærere debemus. Quàm hoc iniquum, atque intolerandum sit, vt iam non Latina translatio ad Hebræum & Græcum corrigatur, ex quo desumpta est, sed contra Hebræũ & Græcum, vnde omnes omnium linguarum translationes profluxerunt, ad vnam Latinam translationem exigatur, ijs omnibus cogitandum relinquo, qui vel vnicam habent reliquam æquitatis ac iudicij guttulam. Hieronymus, quem isti faciunt suę translationis vel authorem, vel emẽdatorem, quando vult indoctorum hominum reprehensiones refellere, qui illum malè vertisse sacros libros accusabant, ad Hebræum, & Græcum fontem prouocat, cui ille suam versionem consentaneam faciebat. In præfatione sua in Pentateuchũ Moysis sic scribit, *Sic vbi in traslatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diuersarũ vrbiũ magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices nõ habent. Aliud est, si contra se postea ab Apostolis vsurpata testimonia probauerunt, & emendatiora sunt exemplaria Latina, quàm Græca, & Græca, quã Hebraica.* In quo perspicimus Hieronymo absurdũ atq; ἀδύνατον visum esse, quemadmodũ hic rectè Erasmus obseruauit, vt quisquã Latina exẽplaria emendatiora esse statuat, quàm Græca, aut Græca quã Hebraica. Sed quod illi incredibile iudicârunt, id nunc nostros pontificios seriò defendere minimè pudet. Iterũ Hieronymus,

Hiero. præfat. in Pẽtateu.

Lati-

Latinorum, inquit, *codicum vitiositatem, quæ ex diuersitate librorum omnium comprobatur, ad Græcam originem, vnde & ipsi translata non denegant, volui reuocare. Quibus si displicet fontis vnda purissimi, cœnosos riuulos bibant.* Et post, *Illis placeat humanus sermo, & omni acceptatione dignus, nos cum Græcis, id est, cum Apostolo, qui Græcè locutus est, erremus, &c.* Ad Damasum verò de Græco exemplari noui Testamenti sic habet, *Sin autē veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem reuertentes, ea quæ vel à vitiosis interpretibus malè reddita, vel à præsumptoribus imperitis emendata peruersius, vel à librarijs dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigamus?* Atque alibi adhuc magis perspicuè, *Sicut*, inquit, *in nouo Testamento, quando apud Latinos quæstio oritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est instrumentum: ita in veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinósque diuersitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, vt quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis.* Quid alias Hieronymi sententias persequar, qui in omnibus ferè præfationibus fontium authoritatem commendauit? Ambrosius de loco quodam noui Testamenti verba faciens, *Græcorum codicum potiorem esse authoritatem* scribit. Denique ex Augustino Gratianus ipse pulcherrimam de hac re sententiam in suum Decretum transtulit, *vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examināda est: ita nouorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* Et in libris de doctrina Christiana idem scribit Augustinus, *Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, & duabus alijs ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet, & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Hinc iam potes, Martine, perspicere in sacris scripturarum libris vertendis, illud imprimis elaborandum esse, vt traslationum riuuli ex ipsis fontibus fideliter deducantur, & vos perabsurdè fecisse, qui quando in animum induxistis, vt nouum Testamentum in linguam Anglicanam verteretis, Latinam translationem, quàm Græcum Archetypum sequi

Hier. Marcellæ in fine 2. tomi.

Præfat. in quatuor Euangel. ad Damasum.

Hieron. ad Suniam & Fretellam.

Ambros. de Incarnat. Domin. sacram. cap. 8

Distinct. 9. vt veterū.

De Doctri. Christ. lib. 2. cap. 11.

maluiſtis, tanta quidem pertinacia, vt quanquam Græ
exemplaria omnia aliter legunt, ac in vulgata editi
reperitur, hanc tamen vnam illis vniuerſis præferatis. E
emplum vnum adferamus. In Epiſt. 1. ad Cor. cap. 15. v. 54.
Paulus ait, ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν; hoc
mēbrū in veſtra tranſlatione prætermiſſum eſt. Qua ta
ratione? Non enim in Latina editione, vulgata quam vo
cant, habetur. At in exēplaribus Græcis habetur, & in ea
lingua in qua nouum Teſtamentum perſcriptū eſt, etiam
in antiquiſſima editione Syrica. Quid ſi enim Hieronym
iſta non legit? Chryſoſtomus tamen, & ipſe etiam Ambro
ſius legit, qui cum fuerint æquales Hieronymo, conſta
aut Hieronymum hoc loco minùs fidelem fuiſſe, aut Hi
ronymi verſionem pòſt corruptam eſſe. Num enim pu
mus, aut eſt omnino credibile, ſolùm Hieronymum
ſum eſſe vero exemplari, cæteros Græcæ, Syricæ, Lati
Eccleſiæ patres libros vitioſos habuiſſe? Et ſunt huiuſmo
di ſexcenta alia, in quibus contra Græcorum omnium fi
dem, & perpetuam conſenſionem, Latinæ tranſlationis e
rores à vobis retinētur. Quanquam neſcio quo pacto, cu
id nobis ſemper perſuadere cupiatis, vulgatam veſtram e
ditionem à vobis eſſe religioſiſſimè conuerſam, nec vn
quam ab ea diſceſſum, niſi quando in ea aliquid à Libra
rijs erratum eſſe conſtat, tamen loca multa ſunt à me an
maduerſa, in quibus ab illa editione palam aberraſtis. Id
fiet vno exemplo manifeſtum, cuiuſmodi poſſum mult
proferre. In Epiſtola ad Rom. cap. 12. v. 19. ſic legitur, μὴ
ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, quæ verba vetus interpres reddidit i
ſto modo, *non voſmetipſos defendentes*: A vobis autem
aliter ad Græcam veritatem, *non voſmetipſos vlciſcentes*,
Neque hic corruptam eſſe verſionem veſtram à librarij
eſt, quod affirmetis: ſic enim & Hieronymus in commen
tarijs, & Ambroſius, & Aquinas, & Haymo legunt, quem
admodum in vulgata editione poſitum eſt. Similis locus
eſt Mat. c. 4. v. 16. Illa enim verba ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει,
vetus conuertit, *populus qui ambulauit in tenebris*, quem
admodum etiam in Hieronymo legimus: at vos Græcum
exemplar ſequuti alio modo, & rectiùs tranſtuliſtis, *po-*

pulus

pulus qui sedet in tenebris. Sic quanquam Latinam vestram editionem verbis semper effertis in cœlum, eámque à vobis *præcisè & religiosè* redditam esse dicitis, tamen nōnunquam Græcum fontem coacti estis vel inuiti Latinæ versioni anteferre, etiam ipso Hieronymo repugnante, & emendatissimis vulgatæ editionis exemplaribus. Si vobis vetus interpres tantopere placet, atque illum tam fidelem atque incorruptum existimatis, quamobrem illius in tàm multis locis versionem repudiastis? Sic liquet à vobis nec Græcam nec Latinam ea religione ac fide conuersam esse, quam oportuit sacrarum Scripturarum interpretes adhibere. Si enim interdum Græca vobis magis placet, quantumuis Latina omnia exemplaria veteris vestræ versionis dissentiant, interdum Latina videntur potiora, cum tamē Græci codices vniuersi Latinam versionem euertant, quis dubitet non tam conscientiam & religionem, quàm audaciam intolerandam & studia partium plurimùm in vestra versione valuisse? verbis quantùm lubet, editionem Latinam vestram laudate, Græcum fontem respuite, tamen ipsi profectò sentitis, & id sensus ipse vos docere potuit, multo magis æquum ac consentaneum fuisse, vt Græca quàm Latina verteretis, quùm Græcè initiò scriptum sit Nouum Testamentum ab Amanuensibus Spiritus sancti, Latina versio aut quando primùm prodierit, aut quem authorem habuerit, aut quemadmodum obtinuerit, ignoretur. Nam vt demus corruptos esse fontes, quemadmodum à vobis disputatur, idcóne aut illos prorsus obstruemus, aut iis riuulos incorruptiores esse statuemus? Quantò fuit conuenientius fontes perpurgare, non in exiguis riuulis acquiescere, quos semper suo fonte corruptiores esse est necesse? Et quis tam amens est, vt se riuulorum salubribus purisque aquis vti posse speret, si fontem infectū, ac perturbatum esse patiatur? Etsi fictum hoc totum esse de fontibus corruptis crimen facilè intelligi potest. Num enim possumus existimare, vel istos corruptores tantùm valere potuisse, vt omnia sacrorum codicum exemplaria deprauârint, vel tam negligentem superiorum temporum Ecclesiam fuisse, vt hunc cœlestem Thesaurum ipsius fidei

custodiæque commissum diripi nefariè permiserit? [...]
illud nonnunquam in laude vestræ Ecclesiæ ponitis, quod
libros scripturæ seruârit, & nobis integros tradiderit. hoc
cine est scripturas conseruasse, ipsa scripturæ ἀρχέτυπα καὶ
γνήσια exemplaria amisisse, eorúmq; loco barbaram, & in
cultã, & adulterinam versionẽ supposuisse? Sed quomodo
tam miserè, ac perniciosè corruptos esse fontes persuade
tis? Enimuero Iudæi Hebraica, & hæretici Græca exem
Can. lib. 2. cap. 13 plaria corruperunt: ita nunc Latina interpretatio manet
incorrupta, Hebræum Græcumque Archetypum innume
ris erroribus & vitijs abundat. Si hæretici efficere tantum
potuerunt, erant etiam hæretici Latini à quibus non mi
nus credibile est libros Latinos corrumpi, quàm à Græcis
Græcos potuisse. Sed si factum ita est, vt vos defenditis,
sique Iudæi, atque hæretici in hac re tantopere elabora
runt, cui dubium est, quin id in illis scripturarum locis sen
tentijsque potissimum tentârint, quibus imprimis Christi
Ecclesia ad sua dogmata confirmanda vteretur? Sunt cla
rissima scripturarum testimonia, quibus & Iudæi, & om
nes hæretici refutantur: docete quid in his illi inuerte
rint, quo minus illa nobis nunc integra atque illibata re
manserint. Nunquã enim aut Iudæus, aut hæreticus quic
quam scripturas corrumperet, nisi id sibi aliquo modo cõ
modum ad tuenda opinionum suarum monstra iudica
ret. Quare cum salua sint illa scripturarum loca, quibus &
Iudæi refelluntur, & omnium temporum hæretici iugu
lantur, Marcion, Manes, Paulus, Photinus, Arius, Mace
donius, Nestorius, Eutyches, reliqui, commentitium, in
credibile, falsum videri debet, quod de fontium sacrorum
corruptione iactitatis. Sed istos βιβλιομάστιγας Ariæ Mon
tano, qui de Bibliorum integritate & scripsit nonnulla, &
pòst scripturum se plura pollicetur, refutandos & exagitan
dos relinquo. Et verò quis æquo animo ferat hanc vestrã
de sacrorum fontium deprauatione querelam & calum
niam, quorum illa vulgata translatio est infinitis omnium
generum vitijs refertissima, quemadmodum olim iam viri
doctissimi, ijq; nonnulli etiam Pontificij prodiderunt? Et
quamobrẽ id sibi Pontificia Ecclesia sumeret, vt Hebræa

Græcaq;

Græcisque libris authoritatem detraheret, Latinam versionem, quam cum illis nullus vnquam sapiens putarit cōferendam, sanciret, solamque Ecclesijs obtruderet? Hoc nunquam ab initio ipso, quo conscripti sunt sacri libri ad Tridentinum conuenticulum, quod hisce postremis diebus habitum est, fuit vnquam decretum, vt omnes Christiani Latinam versionem susciperent, & inde potiùs, quā ex Hebræo, & Græco fonte scripturas haurirent. Antiquissimi verò patres illam aut ignorârunt, aut ea certè vsi non sunt, Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, qui scripturas aliter plerumque legunt, ac vetus interpres transtulit. Ne Ambrosius hanc sequitur, & Augustinus omnibus scripturarum studiosis consulit, non vt vna translatione contenti sint, sed vt multas inspiciant, atque inter se conferant: Et Gregorij etiam ætate, id est, sexcentis à Christo annis, Romana ecclesia duabus vsa est Latinis versionibus, quemadmodum ex ipso Gregorio intelligi potest. Ita constat ecclesijs antiquis integrum fuisse, vt quas maximè probarent Translationes, eas deligerēt, nec sibi hanc vnam necessariò tenendam existimarent, quam nunc Tridentini patres omnibus Christianorum ecclesijs imperârunt. Sed quid hanc pontificiorum peruersitatem insecter, quæ tanta est, vt commiserationem potiùs, quā refutationem desiderare videatur? Nunc enim ad summum in hoc genere gradum peruenit, vt nihil sit tàm absurdum, tamque indignum Christi religione, quod isti non defendant, atque approbent. Erant horum maiores modesti, si cum istis conferantur, qui quanquam causam pōtificiam omni modo sibi tuendam esse existimabant, tamē non id putabant necessarium, vt nihil vnquam à suis erratum faterentur, & quicquid semel apud illos inualuit, id rectum ac sanctum esse acerrimè contenderent. At nobis res est cum aduersarijs ad omnem defensionem etiam ineptissimarum rerum proiectis, à quibus nihil alienum est, modò quicquam omnino ad veterem superstitionem confirmandam faciat. Quis non in noui Testamenti editione iudicium, conscientiam, religionem, fidem expectet? nihil autem illa versione impurius, aut illis annotationibus contaminatius vnquam in lucem prodijt. E-

Gregor. in epistola ad Leandrum. cap. 5. in fine operum

quidem cum religionem pontificiam antè semper, ...
ex animo sum auersatus, cum primùm potui de ea iudi-
care, tùm me fateor horum importunitate atque despe-
ratione inductum esse, vt ab ea nunc vehementiùs abhor-
rerem: nec dubito quin postquàm æstus iste pontificius
paululum deferbuerit, seque homines aliquantum colle-
gerint, qui paulò sunt cordatiores, ab illa futuri sint indies
alienores. Cum enim intelligunt, quæ olim semper au
falsa, aut certè suspecta visa sunt, ea nunc ab istis propo
tanquàm verissima pontificiæ ecclesiæ dogmata, cumq
secum cogitant, quàm miserè nunc isti homines sacris scri-
pturis ad absurdissimas interpretationes abutantur, fieri
non potest, quin causam omnem pontificiam improbent,
quã huiusmodi nugis fabulisq; fultam esse vident. Quan-
Mat.2.11. do audiunt illos Magos, qui ex Oriente ad Christũ ado-
Math.3.1 randum venerunt, tres reges dici, quorũ hæc nomina fuis-
Caspar, Melchior, Baltasar: quando Ioannem Baptistã
Monachum, & Monachorum parentem fieri: quando lapi-
Act.7.58. dem Anconæ seruari, à cubito Sancti Stephani retortum:
Mat.17.11 quando Eliam ipsum Thesbitem expectari: quando fa
Math.14 è scripturis colligi, Christus & Petrus in aquis ambulauit,
26.& 29. ergo Christi corpus potest exiguo pane includi: Petrus
in aquis ambulauit, ergo Pontifex Romanus habet au-
Luc.10.35 thoritatem in omnem ecclesiam: Samaritanus ille bonus
hospiti dixit, quicquid supererogaueris, reddam tibi, ergo
sunt opera supererogationis: Christus transformatus est,
Mat.17.2 ergo dat nobis corpus suum in forma panis & vini: Sancti
Math 22. in cœlis similes sunt angelis, quia nuptijs non vtuntur,
30. ergo possunt omnium hominum preces exaudire, & nobis
Math.27 vbique succurrere: Iosephus Christi corpus inuoluit sin-
59. done, ergo in Altari corpus Christi ponẽdum est in Cor-
Mat.28.1 porali: fæminæ ad sepulchrum spectandum veniunt, ergo
Marc.16. nunc peregrinandum est ad sanctum sepulchrum: Chri-
12. stus apparuit duobus discipulis alia forma: ergo est sub
forma panis in sacramento: Christus cuidam muto &
Mar.7.33. surdo dixit, Ephpheta, ergo exorcismus adhibendus est, &
eadem verba recitanda in Baptismis: Lucas Euangelista
Luc.1.3. vsus est præfatione familiari, ergo author secundi libri

Maccabæorum potuit veniam petere, & suam tenuitatem excusare, vt tamen sint illius scripta Canonica : Angelus bene precatur hominibus bonæ voluntatis, *eudokias*, hoc est, quos Deus complexus est sua gratia & misericordia. ergo homines præditi sunt libero arbitrio. Christus ingressus est nauem Petri, ergo tota ecclesia est Petri nauis: Barnabas precium agri ad pedes Apostolorum deposuit: ergo pedes Papæ osculandi sunt. Eunuchus reginæ Æthiopũ Hierosolymas venit adorandi causa, ergo peregrinationes ad loca sanctiora Deo gratæ sunt. Christo nomen datũ est supra omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur: ergo quoties Iesu nomen auditur, capita nudanda, & genua flectenda sunt: quando, inquam, has nouorum magistrorum, similesque infinitas expositiones atque argumẽtationes audiunt, siquis reliquus sit non modò spiritus sancti, sed vel communis iudicij sensus, non possunt existimare religionem his fundamentis constitutam, esse firmam, & certam, & alijs omnibus anteponendam. Tum quando quorundam locorum intolerabilem blasphemiam considerant, multò magis commoueantur est necesse. Christum Apostolus cum Melchisedeco, & Christi sacerdotium, cum Melchisedechi sacerdotio comparat in epistola ad Hebræos, vbi nullam omnino facit panis aut vini mentionem, in quo tamen præcipuè volũt Christum fuisse similem Melchisedecho. Hic nostri palàm scribunt, ex ijs omnibus, quæ sunt ab Apostolo proposita, non concludi, Christi sacerdotium esse æternum, itaque propriè Christum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedechi, quia instituit sacrificium corporis & sanguinis sui à sacrificis suis perpetuò immolandũ. Sic quod præcipuum fuit, id Apostolus in illa disputatione prætermisit, atque ea adduxit, quæ non efficiunt, quod ipse instituit: qua autem in re Christus Melchisedecho præcipuè similis fuerit, non ab Apostolo discendum est, sed à Patribus, qui multò magis aptè ac propriè de Christi sempiterno sacerdotio scripserunt, quàm Apostolus. Quid scribi vnquam aut cogitari potuit desperatius? Si non verentur in Apostolo aliquid desiderare, ipsúmque spiritum

Luc. 5. 3.
Act. 4. 37.
Act. 8. 27.
Phil. 2. 10.
Heb. 7. 17.

sanctum perstringere, mirúmne esse potest, nostram illis doctrinam displicere? Similem in illo Pauli pulcherrimo loco audaciam produnt, vbi sic ad Romanos scribit, *Stipendia peccati mors: donum autem Dei vita æterna.* Hic Remensis Sorbona annotauit, orationis consecutionem postulasse, vt quemadmodum dixerat, *stipendium peccati mortem esse*, sic contrà, iustitiæ stipendium esse vitam æternā affirmaret. Idque ita esse isti planè statuunt, cum tamen hoc modo loquutum Paulum, vt nullum omnino meritis locum relinqueret, eoque verbo, quod stipendij rationē omnem penitus excludit, vsum esse constat. Quod enim est donum gratuitum, id stipendium esse meritísque persolui nullo modo potest. Videtis quo iam progressa sit pōtificia Theologia, vt nihil à se alienū esse decreuerit, quod quicquam faciat ad illius causæ sententięque defensionē, quam isti amant & valêre cupiunt, quantumuis id nunquā probari posse intelligant, nisi vis scripturis palam inferatur, & spiritus sanctus in ordinem cogatur, & Apostoli nouo quodam modo loqui doceantur. Ita cum causa pontificia nihil firmum solidúmque habet, tùm qui illam hodie defendunt, pudorem omnem & conscientiam excusserunt, vt mirum sit, quemadmodum de Iuliano hæretico scripsit Augustinus, in facie istorum tantum interuallum esse inter frontem & linguam, vt in hac causa frons non comprimat linguam. Hæc volui Martino nostro paucis responsa, quia & me ad scribendum prouocauit, & illius inprimis industriam in hoc mirifico Testamento, quod illud Theologiæ collegium nuper edidit, expoliendo versatam esse suspicor. Ei integrum erit mecum agere, quousque volet: cadere non possum, quin mecum scriptura cadat: qui nos vincet, Prophetas, Apostolos, Christum, Deum vincat & vinciat est necesse. Te verò, Lector optime, nihil horum moueat, aut perturbet, quæ ab aduersarijs aut scribuntur hodie, aut dicuntur. Argumenta sunt trita, vt nulli magis nota sit domus sua, quàm nobis cognita sit ea disputandi ratio, qua pontificij vtuntur: quicquid afferri à quoquā potuit, vidimus, diluimus, protriuimus: horum maiores nostris maioribus cesserunt, nos istis cedere

Rom. 6. 23.

nec

nec possumus, nec debemus. Sin te conuitia nonnihil deterrent, quibus nuper Lutherum, Bucerum, Caluinum, Bezam, & virum quemque optimum proscindere cœperūt, & hæc noua scribendi ratio, quā nunc inprimis celebrant, nonnullos animo tuo scrupulos affert, memineris, si ipse paterfamilias Beelzebub vocatus est, mirum non esse, iisdē probris eius famulos ac domesticos vrgeri. Quod maledicunt, & nullum à calumnijs immunem esse patiuntur, feramus æquo animo: sunt enim irati, & nos commeriti sumus, quos illi, dum tales sunt, perpetuo odio prosequantur. Pontifici Euangelium nō placet, quia Romæ regnare Antichristum demonstrat, & Ecclesiam Romanam infinitis damnis iacturisque afficit: quis ergo moueri paulò vehementiùs pontificem, aut quis pontificios multa in nos iacere maledicta miretur? mirādum verò multò magis esset, si aliter facerent. Lutherus autem & Caluinus, quos isti inprimis suis calumnijs petunt, in luce hominum multis annis vixerunt, quorum in moribus si quod eiusmodi vitium hæsisset, quale isti obijciunt, latêre tam diu nunquam profectò potuisset, & totum orbem fama iam olim peruasisset. Nunc isti cum nullum possunt vel leuissimum crimē proferre, aut veteres quorundam nimis rancidas & obsoletas calumnias repetunt, aut nouas & hactenus inauditas fingunt, quales ille, cuius antè mentionem fecimus, Hieronymus Bolsecus innumeras in Caluinum recèns edidit: qui homo si sciret, quàm miser esset, voluptatem quidem exiguam ex illo suo maledicendi studio perciperet. Dum enim Caluini honorandam ac beatam memoriam infamia aspergere conatur, id nactus est, vt ipse sit omniū mortalium odij infamiæque plenissimus: vt quando vis insignem calumniatorem & sycophantam nominare, cum deinceps Hieronymo Bolseco similem esse dicas. Erit hæc perpetua iustáque merces tantæ impudentiæ.

Mat. 10.25.

Siquis autem fortè, qui sit hic Hieronymus Bolsecus, scire cupit, illumque esse virum honestum fideque dignū suspicatur, vt verēdum sit ne magnam Caluini famę maculā inusserit istius συκοφάντου, is intelligat, antiquum esse hūc Caluini inimicum, hominē non tam nobilem, quàm

Beza in vita Caluini. notum. Fuit hic aliquando Monachus Carmelita, post cucullâ depositâ triduò factus medicus venit Geneuam, vbi propter orationem seditiosam ac blasphemam coniectus à Magistratu in carcerem, tum vrbe expulsus fuit, denunciata pœna fustuaria, si pòst vnquam in ditione Geneuési deprehenderetur. Hunc deinceps Bernates bis è suis finibus expulerunt, vt tãdem ministerium in ecclesia petere, & resipiscentiam, ac concordiam cum ecclesia Geneuensi simulare cogeretur. Postremò vbi statum ecclesiæ nutare sensit, palàm ad pontificios, a quibus profugerat, denuò transijt, vxorem quibusdam prostituit, religioné omnibus maledictis oppugnare instituit. Hic nimirum præclarus author Caluini vitam perscribit, huiusque impudentia nostri pontificij ad Caluini infamiã abutuntur, & iam nihil ferè aliud ab istis agitur, nisi maledicitur, vt quemadmodum scribit Hieronymus, *conuicti de perfidia ad maledicta sese conferãt.* Sed aliud est maledicere, aliud verũ crimen obijcere. & quis est cui ista via non pateat maledicẽdi, quam nunc ingressi sunt aduersarij, nobis indigna, ipsis dignissima? quasi verò, aut istorum hominum mores iamdudum incogniti fuerint, aut si ex hominum moribus religio æstimanda esset, non omnium vitiosissimam esse pontificiam necessariò sequeretur. Ab istis quid refert malè audire, qui vel tales sunt, vel qui talibus inseruiunt, aut quid eorum calumnias curemus, qui quæ nobis falsò exprobarunt, ea si illis verè obiecta fuerint, non erubescant? Verùm cuiusmodi hoc nouum est scribendi genus, vt cum argumentum tractare cœperis, eorum vitam moresque exagites, quos habes in causa aduersarios? Reddat aliquis huius instituti rationẽ, qui eo maximè delectatur, si placet, ille Censor, & Censuræ defensor, cuius libri tam multis in Lutherum, Caluinum, Bezam maledictis infarciuntur. Hieronymo hoc ipsum ab illo quærenti respondeat, *Hoc tantùm requiro ab eximia sanctitate & Censura tua, cuius in scribendo exemplum sequaris? Quis vnquam Catholicorum in disputatione sectarum turpitudinem ei, aduersus quem disputas, obiecit? Sic te docuerunt magistri tui?* Hæc mihi visa sunt necessariò dicenda, quia nimiùm multos video

Hieron. aduers. Ruffin. apolog. 3.

ista aduersariorum peruersitate deludi, vt & pontificios putent esse homines probos, quia alios probris, verbisque acerbissimis insectantur, & illam optimam veritatis ac religionis dijudicandæ rationem esse statuunt quæ ab hominum ipsorum existimatione famáque pendeat. Vita nostra etsi est vitiosa, & parùm respondet sanctitati illius fidei, quam profitemur, eam tamen isti non possunt reprehendere, qui suam nunquam hactenus defendere potuerunt: at doctrina ea est, quam si vel Angeli conentur emendare, quorum est summa integritas, ijs tamen & resistamus, & Anathema dicamus: quò ferãt æquiùs pontificij, quòd ipsis, qui tales sunt, quales multis seculis pontificij fuerunt, minùs in causa cedimus. Postremò id vnum pontificijs reliquũ est, vt siue argumentis pugnant, vincantur: siue maledictis confidunt, non diu vicisse videantur.

Vale, pie lector, & quam Christi doctrinam, purúmque Euangelium didicisti, noli vnquam cum Pontificijs figmentis & putida superstitione commutare. Sanderum nunc pro suo Antichristo differentem audiamus,

ERRATA SIC CORRIGENda sunt

Pag. 35. *lin.* 23. *μαντροπολιν*. *p.* 48. *lin.* 22. post seculi deest, *id* *p.* 58. *l.* 11. *assumptio*. *p.* 59. *l.* 4. *quicquid*. *p.* 62. *l.* 3. *alib.* *p.* 64. *l.* 24. *patrum*. *l.* 31. *quicquid*. *p.* 72. *l.* 22. *recta*. *p.* 73. *l.* 22. post in Asia deest *in Africa*. *p.* 74. *l.* 18. *post*, *sit*, deest, *aliquid*. *p.* 77. *l.* 10. *persequutus*. *p.* 88. *l.* 19. *Nisi*: *l.* 27. *cum*. *p.* 94. *l.* 3. *ergo* *l.* 9. *maluerint*. *l.* 23. *possint*. *p.* 96. *l.* 5. *arripiant*. *p.* 98. *l.* 5. *hinc* *p.* 101. *l.* 20. *solium*. *p.* 103. *l.* 22. *praecipius*. *p.* 109. *l.* 19. *multis*. *p.* 113. *l.* 10. *plerúmque*. *p.* 115. *l.* 8. *post atque* deest *ex*. *p.* 140. *l.* 25. *omiserint*. *p.* 142. *l.* 2. *exponho*. *p.* 146. *l.* 28. *praedixit*. *p.* 175. *l.* 18. *vestrorum*. *p.* 176. *l.* 6. *scriptis*. *p.* 201. *l.* 4. *possunt*. *p.* 205. *l.* 10. *id ne*. *p.* 239. *l.* 3. *nolo*. *p.* 243. *l.* 26. *cucurrisse*. *p.* 245. *l.* 21, post sit deest, *quam*. *p.* 248. *l.* 2. *Iudeis*. *p.* 257. *l.* 23. *istiue*. *In margine pag.* 9. *part.* 3. *q.* 8. *ar.* 8. *In praefatione* ** *b. lin.* 30. *merito quando possum affirmare*, *pro*, *merito possum affirmare*, *quando*. ** *iij b. l.* 29. *placare*. ** *p.* 10. *lin.* 17. *illum*. ** *pag.* 16. *lin* 28. *in* *θιακοῦντις*. *pag.* 272. *in margine Cyril.*

ERRATA SIC CORRIGE[illegible]

[illegible]



PRIMA DEMONSTRATIO, QVOD PAPA NON SIT ANTICHRISTVS ILLE INSIGNIS, QVI VNVS tantùm homo est, cùm plusquam ducenti pontifices Romani fuerint.



IAM antea multis argumentis de- N. SANDERVS.
claraui (quod tamen hîc repeten-
dũ est, vt ad id, quod iam institui-
mus, accommodetur) Antichri-
stum illum insignem de quo agi-
tur, vnam certam personam, ac
non sedem quandam aut successi-
onẽ hominum esse. Primùm enim I.
Christo, qui vna certa persona est,
& omnium iustorum caput, An- Ioan. 5.
tichristus, velut aduersarius vnus insignis, & omnium impio-
rum hominum caput opponitur. Deinde à Ioanne appellatur 1. Ioan. 2.
ἀντίχριστος, ille Antichristus, *velut vnus eximius inter mul-* II.
tos. Tum autem per articulum hominis nomini appositum ab A- III.
postolo describitur, dum vocatur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ho-
mo ille peccati. *Articulus enim talis, de homine quopiam*
certo ac singulari sermonem esse demonstrat. Praeterea in Apo- IIII.
calyp. (cap. 13.) proprium nomen habiturus praedicatur, quod
contineat 666. Nomina verò propria non nisi personis certis &
singularibus imponi solent. Quintò, per pronomen (ille & ip- V.

Ioan. 5. 2. Thes. 2. se) tùm in Euangelijs, tùm in Epistolis Pauli designatur, quæ pronomina certissimam illius, de quo agunt, personam demonstrant.
VI. Sexto, extollet se (vt Apostolus ait) supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Non potest igitur fieri, vt plures consortes habere se fateatur, qui eodem modo sese efferant. Alioqui non extolleret se supra omne, quod colitur, quia socij eius futuri essent in eodem superbiæ gradu ex sua ipsius confessione. Cæterùm si nouissimus ille Antichristus Creatorem cæli & terræ non agnoscit æqualem sibi; quis putet, eum esse Antichristum illum insignem: qui alios permultos agnoscit, tam prædecessores, quàm successores suos in eodem officio? Quod certè Romani pontifices hodie faciunt, ac semper fecerunt. Necessariò solus est, qui tanta superbia, effertur; vt supra omne
VII. numen se extollat. Denique omnes sancti patres, Græci, Latini, Syri, qui per tot secula vel in Oriente, vel in Occidente, vel in Aquilone, vel in Meridie vixerunt, secundum fidem ac traditionem ab Apostolis acceptam, de Antichristo locuti sunt velut de homine vno: cuius & certam patriam, & certam tribum, & res gestas, vni personæ proprias, & regnum breuissimum, & finem exitiúmque subitaneum ita secundum scripturas descripserint, vt hæc omnia non potuerint præterquàm ad vnum certum hominem referri. Cùm igitur tot modis constet, Antichristum esse vnam solam personam, Pontifices autem Romani vna sola persona non fuerint, sed series quædam & successio plurium personarum: vel ex eo ipso efficitur, vt pōtifices Romani minimè potuerint esse ille insignis Antichristus, quē nunc inquirimus. Hanc rationem multo pluribus argumentis confirmare liceret, nisi quòd nolo ea, quæ ad alium locum pertinent, in hunc vnum accumulare.

Guilielmus Whitakerus.

I. OPeræ multum in eo, Sandere, studijque posuisti, vt Romanum Pontificem, quem vera Christi Ecclesia pro ipso Antichristo

sto iamdudum habuit, non esse Antichristũ demonstrares. Nihil enim vel tua existimatione dignius fieri, vel pontificis rationibus aptius à te potuit, quàm vt istam de tuo pontifice opinionẽ ex hominũ animis euelleres, quæ & penitus insedit, & pontificis causæ vehementius nocuit. Itaq; quem hactenus laborem in extruenda visibili Ecclesiæ tuæ Monarchia sanè maximũ sumpsisti, eum inanem esse omnem meritò iudicasti, nisi illud tandem nobis omnibus persuaderes, Pontificem tuum, quem colis, & cuius in Ecclesia munus verbis amplissimis exornas, non esse, quem multi esse dicunt, & valde contendunt, Antichristũ. Ni enim id doceres, non tam Christi atq; eius ecclesiæ, quàm Antichristi Monarchiã fulcire & defendere videreris. Quare quicquid tibi vel lectio multiplex, vel diuturna meditatio, vel industria singularis suppeditare potuit, id totum in hanc causam confers, tanquam in arcem tuæ Monarchiæ, omnemq́ue tuam expromis artem, ingenium, copiam, & nihil omnino prætermittis, in quo facultas tua Romano Pontifici gratificari possit. Affers autem præstãtissimarum demonstrationum vim ingentem, vt quandoquidem & demonstrationes sunt, & tam multæ, nemo iam dubitet Pontificis dignitatem à te esse fortiter defensam. Verùm certè falleris, Sandere, multumq́ue falleris, si nos argumentorum multitudine cõmoueri posse existimes: qui & verborum strepitum contemnimus, & in vero dijudicando, scripturarum authoritatem, nõ ho-

minum coniecturas sequimur, & vestras præstigias, quibus in omni controuersia vti soletis, perspectas habemus. Ex omni hoc, quem cumulasti, demonstrationum numero tanto, si vel vna sit ἀπόδειξις, quæ quod tu vis efficiat atque concludat, reliquas à te non sine causa introductas esse meritò licet existimare: sin hic tam magnus demonstrationum tuarum cumulus nullum habet syllogismum verè ἀποδεικτικὸν, tum satis constare potest, id te vnum tibi proposuisse, vt oculos nobis præstringeres, fucumque faceres, & quod pondere non potuisti, numero saltem expleres. Anni iam plures sunt, Sandere, cum tu virum doctissimum atque integerrimum Alexãdrum Nowellum scriptis tuis lacessisti, quòd is in suo contra Dormanum collegam tuum libro dixisset, non omnes simul papistas probare posse, in istis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, vllã magis inesse *transsubstantiationem*, quàm in his, *Ego sum vitis vera*. Id tu tibi, vt probares, sumpsisti, & demonstrationes etiam quadraginta, quemadmodum in hac causa facis, attulisti, quibus in illis potius quàm in istis inesse *transsubstantiationem* euinceres. Nescio enim quid te iste numerus mirificè delectet, vt tibi nihil verũ, nisi quadraginta demonstrationibus conclusum videatur. Sed quis vnquam (Deus bone) tales vidit demonstrationes! ita erant ineptæ, futiles, pueriles, vt similes nullus vnquam ante Sanderum nostrum theologus effuderit. Sic tecum, Sãdere, in illa causa Nowellus egit, vt tibi cum ad-

uersario forti, & ad tua omnia repellenda instru-
ctissimo rem esse intelligeres: sic tibi nũc me re-
sponsurum esse confido, vt in hac tua παραλογι-
στικῇ ἀποδείξει, quam vndique conquisitam or-
nasti, nihil inesse omnes videant, quod nostrûm
quemquam mouere debeat, quo minus tuũ Põ-
tificem esse Antichristum deinceps credamus,
quemadmodum hactenus fecimus, & te in ista
tua verborum, nõ argumentorum, plena demõ-
stratione, ei similem esse iudicemus, quem qui-
dam, quia in dicendo multus esse maluit, quàm
sapiens, λέξεων ποταμὸν, νοῦ δὲ σταλαγμὸν appellauit.
Huius, tù Sandere, Philosophi nobis imaginem
retulisti, qui verbis sic abundas, vt extra ripam
effluas: verorum argumentorum tanta inopia
laboras, vt vbiq; hęreas, nec quicquam explices.
Quare Domini Iesu Christi, qui Antichristum
tuum spiritu oris sui confectum delebit aliquan-
do, virtute atque auxilio fretus, ad te, Sandere,
venio, qui ruentem iamdudum Antichristũ su-
stentare, & contra Christum pro Antichristo
bellum gerere conaris. Demonstrationes tuas
eo ordine excutiam, quem nobis in tuo libro
proposuisti, ne tecum esse actum iniquius con-
querare.

Primùm ergo Papam non esse Antichristum
concludis, quandoquidem Antichristum opor-
tet esse certam personam: nos verò non hunc aut
illum Papam esse Antichristum affirmamus: sed
hoc nomen toti sedi, & successioni hominũ tri-
buimus. Ita est, Sandere, vt dicis: Non enim v-

num aliquem & singularem hominem vel Pium, vel Paulum, vel Gregorium esse illum Antichristum existimamus, de quo tam multa legimus in scripturis, sed corpus ipsum, regnumque Pontificium cuius Papa princeps est & caput, esse Antichristum arbitramur. Quare si Antichristum esse certum aliquem & particularem hominem docueris, Papam non esse Antichristũ δεικτικῶς concluseris. Demonstrationem ipsam sic instituis: *Antichristus vna esse debet & certa persona: Paparum sedes & successio non vna est & certa persona: Ergo Papa non est Antichristus.* Nõ agam tecum, Sandere, captiosè, ne me Sophistã, & tibi tuisque similem esse censeas, vim tuæ demonstrationis integram esse patiar, nihil celabo cõmodi mei causa, nihil malitiosè mutabo: Iam si ista demonstratio tantum valet, quantum fingis, vt Papam nõ esse Antichristum euincat, peto à te vt hanc meam illi per omnia similem rectè etiam esse cõclusam fatearis: *Vicarius Christi in terris certa persona esse debet: sedes & successio pontificum non est certa persona: Ergo pontifex nõ est Christi vicarius in terris.* Doce Sãdere quid inter tuam meamque intersit ἀπόδειξιν, vt mihi minus hoc modo liceat concludere, Papam tuũ non esse Christi vicarium, quàm tibi licuit non esse Antichristũ. Si vos Christi vicarium in sede atq; successione hominum reperiri posse defenditis, quamobrem non idem nos de Antichristo affirmemus, & quem vos falso nomine Christi vicarium dicitis, cum suo veroque nomine Antichristum

tichristum appellemus. Deinde, quòd de persona certa postulas, non admodum pugnabo vt verum esse fatear, & Antichristum in certa persona constituam. Nam inter personam, & hominem nonnihil interest, persona gradum ipsum, & statum, & conditionem significat multis & infinitis hominibus communem. Gregorius decimus tertius homo est, at Papa, quod ille cum reliquis omnibus nomen habet, & Antichristus personam indicat: vt quanquam Antichristum esse certam personam damus, hominem tamen certum & singularem esse nullo modo consequatur. Sed tamen non insistam in principio, nec tuam demonstrationem tam leuiter eludam: Quare tuum illud λῆμμα, quo Antichristum non nisi vnam personam, hoc est, vnum quendam certumque hominem fore statuis, quemadmodum confirmes videamus. Id quia est magni momenti, & summam quodammodo totius causæ complectitur, multis argumentis munitum esse voluisti.

Quid ergo affers, quamobrem in eo tibi assentiamur, quod quasi defensionis tuæ fundamentū ponis. *Christo*, nimirum ais, *qui vna certa persona* I.
est, & iustorum omnium caput, Antichristus velut aduersarius vnus insignis, omnium impiorum hominum caput opponitur, sic tua ratio habet: *si vna* Ioan. 16.
certa persona sit iustorum omnium caput, est quoque 11.
vna certa persona impiorum omnium caput: at iu- Heb. 2. 14
storum omnium Christus est caput, qui est vna per- In Psal.
139.

sona: Ergo Antichristus velut aduersarius insignis est caput omnium impiorum. Opponi Christo Antichristum tanquam insignem aduersarium facile credo: proinde enim & ἀντίχριστος, & ἀντικείμενος vocatur, quia Christo resistit, eique totus aduersatur. Sed num hinc efficies vel certum virum esse Antichristum, vel esse caput omnium impiorum? Duas hominum atque angelorum ciuitates nobis scriptura proponit, alteram sanctorum ac beatorum, alteram verò impiorum atque reproborum: & illi Christus, verum atque vnicum Ecclesiæ caput, præest, huic verò quem tandem Sandere præficies? Num Antichristum? vt quemadmodum Christus est suorum omnium princeps, ita Antichristum esse vnum sceleratorum omniũ Monarcham defendas? Noli Sandere hanc Christi atq; Antichristi ἀναλογίαν nimium vrgere, ne Papam tuum vel ipsum esse Diabolum concludas, vel ei certè æqualem facias. Etsi est Diabolo Pontifex Romanus admodum affinis, tamen non est idem. Impiorum omnium hominum esse caput, non Antichristi est, sed Diaboli, nisi forte Antichristũ ipsum esse Diabolum existimes, quemadmodum tuos quosdam fecisse legimus. Quare hæc vna certaque persona, quam impiorum omnium caput esse dicis, non Antichristus est, sed Diabolus:

Ioan. 16. 11. quem propterea Christus huius mundi ἄρχοντα

Heb. 2. 14. vocat, quemque Apostolus *mortis imperium habere* scribit. *Sicut enim* (inquit Augustinus) *bo-*

In Psal. 139. *norum caput Christus est, sic illorum* (impiorum)

caput

caput Diabolus est. Et tute Sandere in septimo Monarchię tuæ libro impiorum omnium multitudinem in Diaboli ciuitate includis: ita huius ciuitatis non Antichristus princeps est, sed vel tuo iudicio Diabolus. Quorsum nunc tua recidit Demonstratio Sandere? Christus est certa persona, ergo, Antichristus est certa persona? Christus est caput iustorum omnium, ergo Antichristus est caput impiorum omnium? Itáne eras à recta ratione auersus, vt quemadmodum Christus iustorum hominum caput est, ita impiorum hominum caput faceres Antichristum? At nullorum caput Antichristus esse potest, nisi illorum, quos ipse in errorem atque exitium induxit, quique illum sequuntur, atque in eam societatem, ac quasi corpus insiti sunt, cuius ipse caput est, id quod tuus te Aquinas docere potuit, Pag.3.9.8.
nisi caput impiorum dixeris Antichristum malitia, quia homines vniuersos scelere & nequitia facilè superat. Sed quanquam est Antichristus omnium hominum pessimus, tamen vt sit caput impiorum omnium, qui à principio mundi ad finem vixerunt, nulla ratio persuadet: quomodo enim caput erit aut Ethnicorum veterũ aut Iudæorum infidelium, aut Mahumetanorum, quibus semper ignotus Antichristus fuit? Ita tua demonstratio prorsus dissoluta est, neque concludit ἀποδεικτικῶς.

Verùm adiungis, deinde à Ioanne appellatur ὁ II.
ἀντίχριστος, *ille Antichristus, velut vnus eximius inter multos*. An tu Romanũ Pontificẽ vnũ inter

multos eximium esse negas? quid ergo impedit, quo minùs tuus pōtifex esse possit Antichristus, quē non eximium modò, sed summum etiam esse iudicatis? At Ioannes, inquies, de vno certo homine locutus est, quia ait ὁ ἀντίχριστος: sic ergo concludis: *ὁ ἀντίχριστος certum atque vnum hominem*
1. Ioan. 2. *nem significat: Ioannes ait, ὁ ἀντίχριστος, ille Anti-*
18. 22. *christus, ergo vnum certumq́; hominem declarauit.* Possunt his argumentorum ineptijs ignari homines circumscribi, docti nunquam tam exiguis captionibus fallentur. Sed te Ioannes ipse refutabit: sic enim scribit in eadem epistola, καὶ τοῦ-
1. Ioan. 4.
3. τό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, *atq; hic spiritus est Antichristi*, de quo audistis eum venturum fuisse, & iam nunc in mundo est. Vides Ioannem τοῦ ἀντιχρίστου, *illius Antichristi*, quemadmodū tu interpretaris, meminisse, quem iam tunc in mundo fuisse affirmat. Quare non illum certum & singularem hominem significauit, quem tu vocas Antichristum, quémque adhuc venisse negas, sed eos vniuersos, qui temporibus illis puram Christi doctrinam nefariè corruperant, atque illius ἀποστασίας, quam futuram Apostolus prædixit, iacere fundamenta cœperant. Tales fuisse nonnullos, viuo etiam Ioannne, testis est historia, qui maturè admodum opus illud sunt aggressi, quod paulatim ad illam magnitudinem excreuit, vt totam tandem ecclesiam peruaserit. Hos impios atque audaces homines Ioannes τοῦ ἀντιχρίστου nomine appellat: in quo tuam hanc omnē demonstrationem refellit, qua Antichristum es-

se

se vnum tantùm hominem docere voluisti.

Sed pergis articuli huius vim fortiùs vrgere: sic enim ais, *Tum per articulum hominis nomini appositum ab Apostolo describitur, dum vocatur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, homo ille peccati.* Nimiùm argutus es, Sandere, qui tam minutos articulos consectaris atque aucuparis, si tibi argumenta suppeterent meliora, has tam miseras tenuésque coniecturas pro Demonstrationibus nunquam venditares. Exiles enim certè esse Demonstrationes est necesse, quę istiusmodi principijs causisq; nitantur. Antichristum Paulus τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας vocat, id est vt tu soles interpretari, *hominē illum peccati.* In quo veterem vestrum interpretem video minùs tibi placuisse, qui vim illius articuli, cui tu tantopere confidis, penitus omisit, quod non fecisset, si tantum in eo momēti, quantum tu fingis, inesse statuisset. Dicitur autem Antichristus ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας more Hebraico: Perinde enim valet ac si ὁ ἄνθρωπος ὁ ἁμαρτωλὸς vocaretur, homo ille nequam, impurus, sceleratus. Itaque Demonstratio tua sic cōcluditur, *ὁ ἄνθρωπος certum & singularem hominē semper designat: Antichristus ab Apostolo dicitur ὁ ἄνθρωπος: ergo Antichristus est aliquis homo certus & singularis.* Nunquam nobis, Sādere, persuaseris eam esse huius articuli rationem, vt singulare semper aliquid significet, nisi nouam aliquā & hactenus inauditam Grammaticam, vnde id ita esse discamus, ostenderis. ἔμφασιν ille articulus nonnullam habet, sed neq; semper, nec qua-

III.

2. Thes. 2. 3.

lem tu scribis. Num expectas dum te in Grammaticorum frequentissimo cōsessu plenáq; curia conuincam? Dignus certè es, quem Theologi explodant, Grammatici vlciscantur. Christus ait, ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά: & alibi, *Sabbatum factum est* διὰ τὸν ἄνθρωπον, non ὁ ἄνθρωπος *propter sabbathum*: & in alio loco, *Non pane sola viuet* ὁ ἄνθρωπος: rursus, *Quum impurus spiritus exierit* ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. Num verò hic de certo quoquā homine loquutum esse Christum existimas? si id negas, & tanquam vehementer absurdum repudias, agnosce tuæ demonstrationis errorem, quando isto articulo vnum aliquem certúmq; hominem declaratum esse concludis. Quid de his Pauli verbis respondebis, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος? Quis ille homo Dei est, de quo Apostolus verba facit? an certus aliquis homo, cui nomen illud vni solique conueniat? Nega si potes, Sandere, quēuis ministrum, & diuinæ voluntatis, verbiq; interpretem significari, quem Paulus τὸν τοῦ θεοῦ ἄνθρωπον appellat. Quare Articulus ille tuus hominis nomini, vt ais, appositus, nō certum & singularem hominē semper demonstrat, nec quando hunc articulum positum esse perspicimus, statim rem vnicam indicari colligendum est. Nam vt nonnunquam ἐμφατικῶς, interdum δεικτικῶς adhibetur, sic sæpe etiam, vt docent Grammatici, περισσεύει. Quæ cum ita sint, cuiusmodi ex hoc articulo, cuius ita multiplex est variáq; ratio, elici demonstrationes possint, equidem non intelligo.

Mat. 12. 35.
Mar. 2. 27.
Luc. 4. 4.
Luc. 11. 24.
2. *Tim.* 3. 13.

telligo. Paulus quemuis Episcopum describens, 1. Tim. 3.
δεῖ (inquit) τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι & quæ 2. Tit. 1. 7.
sequuntur. His virtutibus, quas cõmemorat, atque ornamentis non vnum aliquem episcopum, sed omnes in vniuersum ecclesiæ Christianæ Episcopos vult esse decoratos. Et quando iustitiæ Christianæ vim ac rationẽ exponit, quæ non est vnius iusti hominis propria, sed iustis omnibus cõmunis, ὁ δίκαιος (inquit) ἐκ πίστεως ζήσεται. Quod Rom. 1. 17.
Christus dixit in eo sermone, quem habuit cum Heb. 10.
Petro, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλη- 38.
σίαν, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,* Mat. 16.
id tu Sandere, tuique omnes de perpetua quadã 18.
pontificum vestrorum successione, seu vicaria ordinatione intelligendum esse cõtenditis: quod quanquam nimis impudenter affirmatur, tamen satis ad te hoc loco refellendum valet. Non enim articulus modò tuus in istis verbis reperitur, sed pronomen etiam demonstratiuum adhibetur, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, vt nemini possit esse dubium, rem vnam atque singularem, quam τόδε τι philosophi appellant, esse significatam. Nunc tecum Sandere statue si potes, tuúmne Papam malis esse Antichristum, an non esse ecclesiæ fundamentum. Sed quid te varijs exemplis ac testimonijs refello, quem omnes Græcorum omniũ libri facilè reuincunt? saltem id te fugere non debuit, quod eodem in capite scribit Apostolus, in quo Antichristum describit. Sic enim habet, καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε: & deinde, μόνον ὁ κατέχων 2. Thes. 2.
ἄρτι. Quis sit ille ὁ κατέχων, atque illud τὸ κατέ- 6. 7.

χον, cuius meminit Apoſtolus, velim ex te ſcire. De imperio, atque Imperatore Romano, Chriſoſtomus interpretatur, cui ferè omnes aſſentiuntur, & tu Sandere minimè repugnas. Nónne verò ſedes illa fuit, hominumque ſucceſſio? Quid ergo nugaris, quaſi id Græcus Articulus impediat, in quo nec Theologicis, nec Grammaticis mediocriter imbutum eſſe oſtendis? De Antichriſto multa ſcribit ac prædicit Apoſtolus μυστικῶς, quæ tamen eiuſmodi ſunt, vt attento ac diligenti & ſcripturarum perito lectori obſcura eſſe nequeant. Enim verò ſic depingit, vt de vno aliquo homine verba facere videatur, quæ tamen non ita intelligenda ſunt, quaſi ad vnam vnius hominis perſonam referantur, qui natus aliquando ea perficiat ſolus vniuerſa, quæ geſturum eſſe legimus Antichriſtum. Atque vt planè perſpicias, quæ de vnica Antichriſti perſona diſputas, ea prorſus à fide eſſe aliena, recognoſce pauliſper quid eo ipſo in loco ſcribat Apoſtolus. Primum enim quando
2. Theſ. 2. 7. ait, τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, *iam nunc myſterium iniquitatis peragitur*, cœpiſſe illo tem-
1. Ioan. 4. 3. pore Antichriſtum docet: id quod Ioannes etiã confirmat, quemadmodum ſupra oſtendimus: Deinde non hunc Antichriſtum, tanquam vnum hominem, breui eſſe periturũ, ſed ad ipſam vſq; Chriſti παρουσίαν duraturum prædicit. Ex quibus
2. Theſ. 2. 8. facilè intelligi poteſt, quàm incredibile ſit, quod de certo quodam Antichriſto fingitur, cui illa omnia, quæ commemorat Apoſtolus, conueniant,

ant, nisi fortè olim natus fuerit, & iamdiu latitarit, & tandem sit in medium proditurus. Talem enim certè nobis Antichristũ designat Apostolus, qui sit à primis illis temporibus ad mundi finẽ permansurus: ita tamẽ vt non perinde semper illustris fuerit hic ἀντιχριστιανισμὸς, nec initio statim ad suam magnitudinem peruenerit. Quòd autẽ sic Apostolus loquatur, quasi certum hominem demonstret: id nemini debet nouum atque inusitatum videri. Ita enim Daniel Propheta totas Monarchias atq; imperia maxima, in quibus lõga fuit multorum regum successio, certarũ bestiarum, Leonis, Vrsi, Pardi nominibus designauit. Si regnum Babylonicum Daniel Leoni, Persicũ Vrso, Macedonicum Pardo comparauit, & singularum bestiarum similitudines singulis regnis accõmodauit, quid ni Paulus ipsum potuit Antichristianismum isto modo describere, vt quasi de vno aliquo homine loqui videretur? In hoc argumẽto refutando non est necesse moram facere longiorem, nec fuissem tam longus, nisi ei te magnopere confidere vidissem. Nunc reliqua tua quæ sequuntur videamus.

Dan. 7. 3 4. &c.

IIII. *Præterea*, inquis, *in Apocalypsi. cap. 13. proprium nomen habiturus prædicitur, quod continet 666. Nomina verò propria*, ais, *non nisi personis certis & singularibus imponi solent*. De hoc numero, deque illo Ioannis in Apocalypsi loco, deinceps tibi in Demonstratione 39. respõdebo pluribus. Interim quòd nominis Antichristi certus numerus designatur, id minimè quod tu vis euincit, pro-

prium aliquod nomen fore Antichristo, quod vni tantum homini certæque personæ conueniat. Etsi enim nominis ipsius numerus prædicitur, id tamen ita fore proprium quemadmodum fingis, vt virum quendam singularem significet, non prædicitur. Bestiæ numerum hominis esse numerum Ioannes affirmat, cum-
Apoc. 13. 18. que esse 666. statuit. De hoc numero quid doctissimi quique senserint, & cui homini illum ascripserint, non ignoras. Quare quod isto modo concludis, *Nominis Antichristi numerus certus præmonstratur, Ergo certum & singularem aliquem hominem esse Antichristũ est necesse*, nihil tu quidem nisi summam fallendi voluntatem tuã demonstras. Sed quid subiungas, audiamus.
V. Quintò, inquis, *per pronomen (ille & ipse) tum in Euangelijs tum in Epistolis Pauli designatur, ergo hæc pronomina, certissimã illius de quo agunt, personã demonstrant*. Id verò Sãdere minimè sequitur. Quãdoquidem enim Antichristum, vt diximus, scriptura nobis tanquam hominem describit, mirum non est, hæc interdum pronomina adhiberi, vt qualis ille futurus esset melius cognosceremus. Sed an hinc huiusmodi demonstrationem conficies, *Quoties hæc pronomina (ille & ipse) reperiuntur, certam & singularem personam designari constat: Apostoli de Antichristo loquentes his pronominibus vtuntur: Ergo Antichristum esse certam personam est manifestum?* Moses sacerdotis summi, & regis officiũ describens, hæc eadem pronomina sępe repetit: Num ex eo vnũ

duntaxat

duntaxat vel pontificem, vel regem illi populo præfici debuisse statues? Etiam quod tuam demonstrationem magis coarguit, quando vniuersum populi corpus designat, tamen hæc pronomina retinet, & *illius* atque *ipsius* meminit. Sed hęc tua ita sunt inepta ac futilia, vt ludere potius, & nugari velle videaris, quàm quod sumpsisti demonstrare.

Sextò ais, *Extollet se (vt Apostolus ait) supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur.* His verbis inanem atque inauditam huius nequissimi Antichristi superbiam describit Apostolus, quãdo illum non humanos tantùm, sed diuinos etiã honores sibi sumpturum esse docet. Id ita tuum Pontificem propè attingit, vt ex eo vel vno facilè agnosci ac deprehendi possit. Eos enim Põtifex Romanus sibi multis iam seculis honores vendicauit, qui homini nulli prætérquam Christo deferuntur: In quo ita se palam prodidit, vt de eo non magis dubitare possis, quàm si apertè vellet se esse Antichristum profiteri. Sed de hac huius belluæ incredibili audacia atque insolentia, locus erit in demonstratione 13. magis aptus dicendi. Quod autem ex his vnicam & singularem Antichristi personam cõcludere conaris, vim demonstrationis nullam affers. Sic enim argumentum instituis, *Antichristus sese supra omne numen extollet, ergo vnus aliquis homo erit Antichristus*: Necessariò enim, inquis, solus est, qui tanta superbia effertur. Quam tu nobis, Sãdere, necessitatem dicis? vnúsne repertus est VI. 2. Thes. 2. 4.

Antichristus, qui Diuinitatem sibi quandam sumeret atque arrogaret? Nónne Alexandrum Magnum, Antiochum, Caligulam, Domitianũ & alios etiam nonnullos legimus in historijs id sibi tribuisse, atque ab omnibus concedi postulasse, vt pro Dijs haberentur ac colerẽtur? Quodnam fuit illorum Angelorum crimen, quos Dominus è summis cœlis, ad imum barathrum detrusit? superbiam, opinor, dices. Quantos verò fuisse regis illius Babylonij spiritus existimas,
Esa. 14.12. &c. cuius Esaias meminit, qui cum animo suo deliberauerat, ac decreuerat in cœlos ipsos ascendere supra stellas Dei, & se Deo summo exęquare? Quis ergo non videt, quod de Antichristo scribit Apostolus, id à multis fieri potuisse, neque esse necessarium quod contendis, vt solus sit, qui tanta superbia efferatur. Nihil enim est quo minùs plures ea sint amentia, vt se Deo anteponãt, & numinis vim ac potentiam sua esse inferiorem glorientur. Sed in eo tamen acutus fuisti, quòd fieri nõ posse dicis, vt *plures cõsortes habere se fateatur, qui eodem modo sese efferant*. Ita enim futurum esse, vt ipsius socij sint in eodem superbię gradu. Verùm nullum Antichristus collegam, nullum suę superbię socium habet: omnes enim scelere atque immanitate superat. Quandoquidem ergo collegas pontifex nullos habet, fieri non posse concludis, vt pontifex sit Antichristus: Primùm collegam sociumque pontifex nullum habet, nisi qui sit etiam ipse Pontifex: Deinde non vno pontifice, sed pontificia sede atq; successione

cessione Antichristum definimus, nisi quòd Pō-
tificem, qui vnus in illo corpore eminet, totum-
que illud regnum vnus tāquam summus mode-
rator administrat, iure dici Antichristum existi-
memus. Verū quia quicquid sibi Pontifex sumit,
id non suo proprioque iure, sed propter ipsam se-
dem munusque Pontificium vendicat, vna ea-
demque omnium certè est pontificum ratio,
quantumuis illi innumerabiles fuerint. Sunto e-
nim multi Pontifices, si homines ipsos spectes:
tamē si dignitatem Pontificiam, regnumq; An-
tichristianum cogites, vnus est Antichristus, qui
se iamdudum extulit aduersus Deum aut quic-
quid colitur. Quare hîc te nobis Sandere nō De-
monstratorem, sed Sophistam præbuisti, qui
quod de ipso munere est intelligendum ad ho-
mines transtulisti, quasi nostrûm aliquis vnquā
qui propriè loqui voluit, tot esse dixerit Anti-
christos, quot Romani, iam aliquot sæculis, Pō-
tifices extiterint. Imò ex quo Papismus esse cœ-
pit Antichristianismus, ne Papas quidem vni-
uersos damnatos esse dixerim, nec Papam istum,
si ad sanam mentem redierit, à spe salutis exclu-
serim. Antichristum verò illum, quem Paulus
τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας vocat, minimè quidem dubito
perpetuò periturum. Sed nunc quod restat, au-
diamus. Sic autem hanc multiplicem Demon- VII.
strationem concludis, *Denique*, inquis, *omnes
sancti Patres, Græci, Latini, Syri, qui per tot secu-
la, in vlla parte orbis vixerunt, secundum fidem,
ac traditionem ab Apostolis acceptam, de Antichri-*

sto loquuti sunt, velut de vno homine: eiusq́, & certam tribum, & res gestas, & regnum, & finem descripserunt, vt hac omnia necessariò, ad vnum certum hominem referantur. Aliud est Sandere de Antichristo tâquam de vno homine loqui, aliud Antichristum esse vnum ac certum hominem affirmare. De potentissimis imperijs mundique regnis propheta Daniel tanquam de certis bestijs loquutus est: quę tamẽ nemo sic intelliget, nisi tui similis interpres, vt non longam multorũ regum successionem à Propheta notatã esse fateatur. Sed dabo ita sensisse sanctos patres, quẽadmodum scribis, vt Antichristum fore hominẽ certum iudicârint. Num ex eo Demonstrationem Theologicam cõficies isto modo, *Sancti patres Antichristum fore certum hominem docuerunt, ergo id verum est, & sine omni dubitatione certum.* Demonstrationes è suis proprijsque & veris ac certis principijs esse sumendas tradunt Dialectici: quare aut erit ἀθεόλογος Demonstratio, aut scripturarum authoritate niti debet, quibus vniuersa Theologiæ principia continentur. Aliunde (inquit Tertullianus) *suadere non possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei.* Sunt hæ αὐθέντικοι, & per se suscipiendæ: cæterorum omnium libri, quantumuis homines illi fuerint summa sanctitate & doctrina præstantes, ad harum literarum normam sunt exigendæ. Rectè Hieronymus: *Quicquid de scripturis sacris authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et Augustinus: *Primus honor sacris literis debetur,*

De Præscript. aduers. Hæreti.

Hieronymus in cap. 25. Mat.

Augustinus ad Volusiã & Hieronym.

tur, cætera cum iudicio legenda sunt. Quare id tibi velim persuadeas Sandere, Patrum tantam apud nos esse authoritatem atque fidem, quanta illa omnino esse debet: Patrum verò scriptis nõ ita confidimus, vt ex ijs vllas religionis nostræ Demonstrationes repetamus, quandoquidem fidem omnem religionemq́ue nostram non in humana, sed in diuina authoritate collocamus. Si quid ergo attuleris, quod pater quisquam senserit, vel patres etiam simul vniuersi tradiderint, id nisi scripturarum testimonijs comprobetur, nihil planè docet, nihil probat, nihil Demonstrat. Sunt enim Patres eiusmodi testes, vt ipsi scripturis testibus opus habeant: si quod errore decepti testimonium dixerint à scripturis alienum, vt ipsis ignosci possit per imprudentiam errantibus, nobis tamen non potest si quia illi errarunt, nos etiam errare volumus. Antichristum Patres plærique vnum fore hominem existimârunt: at in eo, quemadmodum alijs in rebus multis, errârunt, vel quia communi hominũ de Antichristo opinioni nimium tribuerunt, vel quia scripturas minùs attentè perpenderunt, vel quia temporibus illis, in quibus ecclesiæ status florẽtissimus fuit, talem deinceps ἀποστασίαν successuram, qualis consecuta est, præuidere minimè potuerunt, vel quia Ecclesiæ Romanæ maiestas ac splendor oculos hominum ab illo loco auertit, vel quia nondum Antichristus patefactus atque agnitus fuit. Sed vaticinia, quæ initio obscura sunt, postquam ipsę res euenerint,

fiunt manifesta. Itaque si illi patres reuiuiscerent, et Ecclesiæ Romanæ formam omnem, totamque disciplinam considerarent, euentu ipso edocti, Antichristum ipsum facilè agnoscerent, suamque de illo imaginario Antichristo sententiam mutarent. Nos ea ætate viximus, vt regnantem Antichristum oculis videre possemus, nos Antichristi signa omnia perspeximus, nos alium fore nullum certò nouimus: illi futurum quidem Antichristum esse non dubitarunt, sed qualis esset futurus scire tamen minùs potuerũt. Et tamen Antichristi nomen non esse ad vnũ hominem necessariò reuocandum ex Augustino discere potuisti, cuius hæc verba sunt: *Vnde nonnulli non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe, hoc loco intelligi Antichristum volunt.* Et Ireneus *verisimile esse* scribit *vt Latinus dicatur Antichristus, quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum.* Quod autem eos ita de Antichristo secundum fidem & traditionem Apostolicam loquutos esse dicis, illam nobis Apostolicam fidẽ ac traditionem è scriptis Apostolorum exprome. Si ita Apostoli & ipsi crediderunt, & alios docuerunt, id in scriptis & libris Apostolicis nusquam reperiri mirum videatur. Nam tuam ἄγραφον traditionem minimè suscipiam Sandere: ea eiusmodi esse potest, qualem tuus Põtifex esse vult, qui sibi nunquam tantus erit inimicus, vt se ipse esse Antichristum fateatur. *Hanc rationem*, ais, *pluribus*

August. de ciuit. lib. 20. cap. 19.

Irenæ. lib. 5. cap. 25.

pluribus argumentis confirmare potuisti, nisi malles cætera suis locis reseruare. Et tamen ista ferè omnia deinceps nobis reddes, ac quasi cramben recoques. Hactenus nihil attulisti, ex quo euinci posset, quod probare susceperas certum aliquem hominem, &, vt Dialectici loquutur, vnũ numero fore Antichristum. Ita hanc Demonstrationem, qua Romanum Pontificem non esse Antichristum concludis, falsam esse manifestum est, atque, vt scribit Nazianzenus, πίστεος ἀναπόδεικτον φαντασίαν.

Quæ sint causæ aduentus Antichristi: à quarum vltima petitur hæc secunda ratio, quæ demonstrat, quòd Pontifex Romanus non sit, ac neque possit esse Antichristus, quia sancti patres Romanæ fidei & Ecclesiæ socij, cum semper maximè fideles fuerint, minime omnium debuerunt permitti, vt per suæ communionis principem à fide Christi seducerentur, & Antichristi præcursores fierent.

N. SANDERVS.

SI hoc optimè scimus, cuius causas certissimè cognitas & exploratas habemus: non abs re erit exquirere, quænam sint causæ aduentus Antichristi. Nam illis primùm perspectis & consideratis, facilius postea deprehendemus, vtrum Papa sit Antichristus, nec ne. Causa prima, quæ Antichristũ oriri permittit, est Deus iustus & rectus: qui ex ea re tùm Satanæ & membrorum eius malitiam, tum Christi potentiam & Ecclesiæ suæ constantiam manifestabit. Causa verò proxima efficiens & operans aduentum Antichristi, est diabolus: qui per Antichristum efficaciter seducet homines impios. Causa materialis est Causæ Antichristi.

ipse Antichristus vera hominis natura præditus: formalis verò est summa impietas & omnis potentia diaboli, quâ præditus e-rit, itemq; signa & prodigia mendacia, quibus instructus & apparabitur. Causa vltima, ob quam permittitur Antichristus ad seducendos homines venire, hæc est, vt ij iustè condemnentur & puniantur, qui non receperunt veritatem ipsam Christum Iesum, sed consenserunt iniquitati & crediderunt mendacio. Hæc omnia in posteriore D. Pauli ad Thessalonicenses Epistola, cap. 2. habentur. Cum enim de Antichristo ageret: Eius (*inquit*) est aduentus secundum operationem Satanæ (*ecce primam efficientem causam*) in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. *Hæc Apostolus: Est autem certissima illa disputatio, quæ ipsas rerum causas inquirit: præsertim quoties eas non ex coniectura humana, sed ex Dei verbo addiscit, quod neminem vnquam fefellit, aut fallere potest. Dico igitur cum his causis nullo modo consistere, vt Pontifex Romanus sit Antichristus: id quod primùm clarissimè apparet ex fine ipso, qui est potissimus omnium causarum.*

Ob quem finem veniat Antichristus. *Permittitur Antichristus venire* vt iudicentur qui non receperunt Christum Iesum, *sed ex omni orbe terrarum nulli homines veriùs receperunt Christum Iesum, quàm ij fideles, qui permanserunt, & adhuc permanent in fide Romanæ ecclesiæ (id quod statim planissimum faciam) ad nullos igitur minùs, quàm ad Romanæ fidei socios mitti debuit Antichristus. Ad illos verò iudicandos precipuè mitteretur, si Pontifex Romanus esset Antichristus. Nulli enim magis recipiunt Pontificem Romanum, quàm qui permanent in communione Romanæ ecclesiæ: prorsus igitur causæ vltimæ, seu diuinæ iustitiæ, per Apostolum reuelatæ repugnet, vt Pontifex Romanus sit Antichristus. Nihil hic dubium est preter id vnum,* an socij Romanæ fidei

Status quæstionis. maximè omnium receperint Christum Iesum: *hoc autem*

Paulus circiter an. do. 50. *ita confirmo:* Gratias ago Deo meo (*inquit Paulus*) *ad Rom.* 1. quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, *sed in*

illa

illa fide, quam Romani ab Apostolis acceperunt, & ipsi vsque ad hodiernum diem, & ij omnes, atque ij soli permanent, qui communicant cum fidelibus Romanis: igitur nulli meliùs receperunt Christum Iesum, quàm socij Romanæ fidei: quod quidem ita factum esse, ij sanctissimi patres affirmant, qui præcipua ecclesiæ Christi lumina omni ætate non apud Catholicos tantùm, sed etiam apud ipsos protestantes habita sunt.

Ignatius Apostolorum discipulus in ipsa inscriptione epistolæ suæ ad Romanos appellat ecclesiam Romanam castissimam, & eam quæ præsidet in loco regionis Romanorum. *& post:* Alios (*inquit*) docuistis: velim ego ea vt firma sint, & rata, quæ docentes præcipitis. *Huic proximus Polycarpus tam ex animo cõmunicauit cum ecclesia Romana, vt Eusebius (lib. 5. cap. 24.) dicat* cum permissu Aniceti Sacrum ibi peregisse. *Hunc secutus Irenæus lib. 3. cap. 3. dicit, fidem ab Apostolis annunciatam per successiones Episcoporum, & potissimum Romanæ ecclesiæ peruenisse vsque ad suam ætatem. Tertullianus in lib. de præscript. aduers. hæretic.* E Roma (*inquit*) nobis quoque authoritas præstò est: fœlix ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: videamus quid didicerit, quid docuerit. *Origenes eandem ecclesiam cupiebat videre*, vtpote antiquissimam: *teste Eusebio lib. 6. cap. 12. Cyprianus lib. 1. Epist.* 1. Ecclesia omnis Romana confessa est, claruit fides quam de vobis Apostolus prędicauit. *& iterum, epist.* 3. Ad Romanos perfidia non potest habere accessum. *Concilium Sinuessanum episcoporum fere ducentorum aut etiam vt alijs videtur, trecentorum, Romanæ ecclesiæ Cathedram, appellat* primam sedẽ, eamque negat à quoquam iudicari. *Ad Romanam ecclesiam velut* ad portam *communionis catholicæ, tum Athanasius, & Petrus Alexandrinus, tum Paulus & Chrysost. patriarchæ Cõstantinopolitani atq; alij permulti præsules confugerunt. Ambrosius de obitu fratris agẽs,* Catholicos episcopos *interpretatur eos, qui* conueniunt cum ecclesia Romana. *Idem ad Syriciũ,* Symbolũ, *inquit,* Apostolorũ Ecclesia Romana intemeratũ semper custodit, & seruat. Est Romę, *inquit Hieronymus ad Marcellã,* ab Apostolo prędicata fides. *Et aduersus Ruffinũ,* Scito Romanam fidem Pauli authoritate munit am non

Ignatius an. dom. 100.

Polycar. an. dom. 120.

Irenæus an. dom. 150.

Tertul. 180.

Origenes. 220.

Cyprianus. 250.

Synodus Sinuessana circiter an. dõ. 300.

Athanasius an dom. 330

Ambr. 370. epist. 81.


Hier. 380.

Opt. 390. lib. 2. contra Permenia. posse mutari. *Optatus gloriatur se* in communione socium habere Syricium Petri successorem. *Augustinus* prædicandam in Domino vocat Romanorum fidem. *Cyrillus Alexandrinus Nestorium neque condemnare ausus est absque Cælestini pontificis Romani autoritate: neque postea voluit indemnatum relinquere, ne vlla in re dissentiret ab ecclesia Romana, quam ecclesiam Prosper tam in libro de vocatione Gentium, quàm in carminibus de ingratis vocat*, caput mundi, & Petri sedem. *Arnobius Afer*, perire sibi eum *ait*, qui foras ab ecclesia Petri exit. *Eugenius Episc. Carthaginis* ... *de fide admissis disputationem* (*vt Victor ait*) *absque Romanæ ecclesiæ voluntate*, quoniam ea caput esset omnium ecclesiarum. *Primasius in epistolam Pauli ad Rom. cap. 1.* Vere vbique clara est fides Romanorum. *Procopius lib. 1. de bello Goth.* Christianæ fidei disciplinam si alij vnquam, Romani precipuè sunt venerati. *Apud Gregorium quidam episcopus a schismate reuersus iurat, & sub Anathematis obligatione promittit*, se in communione Romani pontificis semper & sine dubio permansurum. *Isidorus in præfatione ad opus conciliorum*, nullam Synodum ratam esse agnoscit, quæ non fuerit Apostolicæ sedis authoritate congregata, vel fulta. *Centum & viginti quinq. episcopi contra Monothelitas congregati in epist. quæ extat in Act. 4. sextæ Synodi*: veram (*inquiunt*) & Apostolicam confessionem nunc vsque nobiscum sancta Romana seruat ecclesia. *Oswy rex* (*inquit Beda*) *intellexerat veraciter*, quia Romana esset Catholica & Apostolica ecclesia. *Theodorus studiensis homo græcus, in dogmata de adoratione sanctarum Imaginum*: Tanta est Romanorum fides, vt & illic infracta videatur esse Petra fidei, nimirum iuxta verbum Domini fundata. *Beda in sermone de Benedicto Abbate Anglicano, ait*, totius ecclesiæ caput eximium, Romæ per summos Apostolos eminere. *Regino in 2. lib. chronicorum ait*, Petri sedem nunquam ab aliqua hæresi aut prauo dogmate falli potuisse. *Miesla Principe Polonia fidem & episcopos ab episcopo Romano petiit. Lanfrancus in lib. aduersus Berenger. ait*, Hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat. *Rupertus Tuitiensis lib. 2. de diuinis*

Marginal notes: Aug. 420 de peccat. Orig. contra Pelag. lib. 2. cap. 8. — Cyr. 430. epist. ad Celest. — Prosp. 440. — Arn. 460. in Psal. 106. — Eug. 510. li. 2. de pers. Vandal. — Primasius. 540. — Procop. an. Do. 550. — Gregor. 590 lib. 10. Dist. 5. Epi. 31. — Isido. 610. — Synodus episc. 125. an. Do. 650. — Oswy 670. lib. 3. hist. Angli. cap. 29. — Theod. 730. — Beda. 740. — Regino. 890 — Miesla. 990. — Lanfrancus 10.50. — Rupertus 1100.

diuinis officijs cap. 22. Romana ecclesia super Apostolicæ fidei petram altius fundata firmiter stetit, & tam Greciæ, quàm totius orbis hæreticos semper confutauit. *Bernardus in epist.* 190. *ad Papam Innocentium*: Hæc huius prærogatiua Sedis, vt ibi non possit fides sentire defectum. *In Concilio Lateranensi cum mille & pene trecenti Antistites adessent, omnes confessi sunt*, Romanā ecclesiam Domino disponente, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum: vtpote matrem vniuersorum Christi fideliū & magistram. *Atq; vt semel finiam, non aliud senserunt cōcilia Oecumenica, Lugdunense primum & secundum, Viennense, Constantiense, Florensinum, & nostra ætate Tridentinum.* Ber. 1140. Synodus magna Lateranensis 1215 cap. 5. Lugdu. 1245 1272. Vien. 1301. Const. 14. 14 Flore. 14. 38 Tride. 1545

Nec in his verbis mihi fidem haberi postulo nisi & ipsi Magdeburgenses, qui Ecclesiam Christi per omnes ætates in centurijs suis demonstrare conantur, eosdem illos patres pro luminibus ecclesiæ habeant, quos ego iam fidei Romanæ laudatores declaraui. Quod si nec aduersarij quidem hos testes pro hæreticis aut falsarijs habere audeant, quid nisi statuemus, vt eos Dei spiritu præditos fuisse, sic etiam verum de Romana ecclesia testimonium dixisse? Omnes autem per omnium seculorum generationes contestantur fidem ecclesiæ Romanæ semper integram & immaculatam permansisse: illam ecclesiam semper obtinuisse principatum super omnes alias: in eius communione permanēdum necessariò esse, nec fidem eius potuisse mutari aut deficere. Quod adeo verum est vt neque ipsi protestantes in tanta hæreticorum serie vllam hæresim ab ecclesia Christi condemnatam proferre possint, quam Romana ecclesia vel ad vnam horam publicè defenderit, ac prædicarit. Nec vllus in orbe terrarum episcopus, præsbiter, imperator, populus, aut vir priuatus extitit, qui catholicus vel sua vel in ætate subsecuta habitus sit, quin idem & vixerit & mortuus fuerit in fide & Communione Romanæ ecclesiæ: vt quæ totius ecclesiasticæ communionis caput & principium semper & vbiq; habita sit. Quæ cum ita se habeant, fieri non potest vt illa ecclesia, quæ Christi fidem optimè omnium aliarum propugnauit, grauissimè omnium per Antichristi præfecturam puniatur: cum Antichristus non nisi ob eos iudicandos permittatur venire: qui propterea credere mendacio *sinuntur quia* noluerunt credere veritati. *Atque hæc sanè* Fidelissimæ ecclesiæ Antichristus præesse non potest.



est certissima & inconcussa huius rei Demonstratio. [illegible]
Romana ecclesia sedes Antichristi est, Antichristo [illegible]
perhibuit Paulus Apostolus Iesu Christi, Ignatius, Polycarpus,
Irenæus, Cyprianus, Martyres Christi, Athanasius, Am-
sius, Hieronimus, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, [illegible]
Isidorus, Beda, Theodorus, Rezino, Lanfrancus, Rupertus, [illegible]
nardus confessores Christi. Et quis erit verus testis pro Chri-
ecclesia, si tot ac tanti patres pro sede Antichristi contra Chri-
dixerunt tam insignia testimonia? Sed apage has nugas: [illegible]
& terra transibunt: verbũ Domini non transijt, sed manet
in æternũ, *quo dixit,* se cum Apostolis esse omnibus diebus
vsque ad consummationẽ seculi. *Nec unquam vel* [illegible]
etiam iudicio præclariores Apostolorum imitatores fuerunt, [illegible]
ij, quos nunc recensui.

Non est igitur ecclesia Romana sedes Antichristi, nec Ponti-
fex Romanus & ipse Antichristus. Nam si Antichristus in
vllius ecclesiæ successione expectari possit, certè debebat po-
tiùs in Constantinopolitana ecclesia quæri, quàm in Romana.
2. Thes. 20. *Etenim cum Paulus testetur Antichristum mitti, vt hi iudi-*
centur, qui non crediderunt veritati, *constet verò ex eccle-*
siastica historia episcopos Constantinopolitanos ex omnibus, qui
vnquam fuerunt episcopis, minimè credidisse veritati: cum in
ea sede præfuerint non modò Arriani, & Eutychiani [illegible]
sed etiam Macedonius *Archihæreticus, qui spiritus sancti*
diuinitatem negat: Nestorius *qui Christum in duas perso-*
nas diuisit: Sergius, Pyrrhus, & Paulus *monothelitæ,* Io-
annes, qui seipsum primus vniuersalem Episcopum nominauit:
multi etiam nuper qui spiritum sanctum à filio procedere per-
naciter negarunt, profectò vbi maximè abundauit hæresis &
mendacium, ibi potissimum expectari debebat Antichristus. Ve-
rùm licet Antichristus in ecclesiam sessurus sit: non tamen vl-
lius successor cuiusquam sedebit, qui potiùs efferet se supra om-
ne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. *Quo minus con-*
uenire potest, vt in principis Apostolorum cathedra sedeat, cui
plus alijs amanti, & fratres suos confirmaturo Christus oues
& agnos suos commisit: & quacum omnia ecclesiæ [illegible]
omni ætate communicarunt, vt pote cum ea cathedra, quæ nun-
quam credidit vllius pseudoprophetæ mendacio, sed semper

consensit

consensis veritati, & aduersus quam non preualuerunt ali-quando inferorum portæ.

Guilielmus Whitakerus.

MVltò rectius fecisses, Sandere, si causam, quam defendis pressiùs & subtiliùs demonstrasses, alienam & non necessariã orationẽ omisisses. Qui enim aliquid volunt ex certis verisq́ue principijs demonstrare, non ij verborum multitudinem, quæ plurima secum plærunque ἁπερογυσᾶ inuoluit consectantur, sed aptè quod instituunt, breuiterq́ue concludunt. Si verò id sit demonstrare, multa quasi in cumulum vnum conferre, nihil ad extremum concludere, præclarè tu quidem perfunctus es officio summi demonstratoris, dignusq́ue es, quem pontifex tuus, pro cuius dignitate atque existimatione propugnas, maximis beneficijs remuneretur. Verùm ego hæc tua tam dissoluta ac diffluentia arctiùs atque angustius constringam, vt à falsis vera, propria ab alienis distinguantur. II.

Demonstrationem hanc tuam ab ipsis principijs arcessis, atque Antichristi causas omnes cõmemoras, *Primam, proximam, efficientem, materialem, formalem, finalem*, vt causis perspectis & exploratis res ipsa meliùs certiúsque cognoscatur. Tum enim aliquid demum intelligimus, quando causas rei percipimus: Ita quis sit, vel non sit Antichristus facilius sciemus, si quas ob causas futurus sit Antichristus teneamus. Hæc

quidem à te Sandere verissimè disputantur, & e-
harum rerum velim esse memorem, vt ex ijs
causis doceas, tuum pontificem non esse Anti-
christum. Quare numqua sit omnino causa i-
psius Antichristi propria quæ Romano pontifici
II nullo modo conueniat, consideremus. Primum
autem à fine ordiris, quem causarum omnium
potissimum appellas: Atque ex eo fieri non pos-
se statuis, vt Pontifex Romanus sit Antichristus.
Sed quis ille finis est, quem dicis, quiq; sit à Ro-
mano Pontifice penitus abhorret, vt ab eo sem-
per sit & necessariò alienus? *Permittitur*, inquis,
*Antichristus venire, vt iudicentur, qui non rece-
perunt Christum Iesum*. Hæc verò tua sunt San-
dere, nō Pauli. Venturum Antichristum Paulus
scribit, vt *damnentur omnes, qui non crediderunt
veritati, sed acquieuerunt in iniustitia*. Hic deni-
ille verus est propriusque finis, quem quæris, v-
qui veritatem non tenuerunt, sed in iniustitia,
est mendacio acquieuerunt, dignas suæ perfidi-
pœnas persoluant. Hæc cùm paulò prius ex A-
postolo recitares, deinde nonnihil immutand-
censuisti, & pro illis verbis, *qui non crediderunt
veritati*, tua hæc posuisti, *qui nō receperunt Chri-
stum Iesum*. Quod quidē eò fecisti, vt Antichri-
stum nihil effecturū nisi apud eos persuadere,
qui vt Christum Iesum reciperent, induci nun-
quam potuerunt: atque eo modo Antichristum
ab ecclesia Romana remoueres, quæ Christum
Iesum recepit, eiusque religionem nunc profi-
tetur. Sed quando Paulus ἀποστασίαν futuram &
Antichristum

Antichristum in Dei templo sedem habiturum prædicit, satis ostendit de illis se loqui, non qui Christum Iesum nunquam receperunt; sed qui Christum semel amplexi deinceps à fide integra exciderunt, quod tuæ ecclesiæ tuoque pontifici valde congruit. Quare nunc de fine inter nos conueniat, & venturum Antichristum statuamus vt damnentur qui non crediderunt veritati, eamque susceptam amauerunt. Hunc enim finem nos Apostolus ipse docuit: tua illa fraudis sunt doliqúe plena. Sed tamen quemadmodum Demonstrationem ex ijs tuam pertexas videamus. Sic ergo ais, *ex omni autem orbe terrarum nulli homines veriùs receperunt Christum Iesum, quàm ij fideles, qui permanserunt & adhuc permanent in fide Romana ecclesiæ: ad nullos igitur minùs quàm ad Romanæ fidei socios mitti debuit Antichristus*. Sic autem, ni fallor, ista Demonstratio constat, *Qui Christum Iesum omnium maximè receperunt, ad illos non est mittendus Antichristus: Ecclesia Romana, fideique Romanæ socij, Christum Iesum maximè omnium receperunt, ergo ad Romanam ecclesiam aut Romanæ ecclesiæ socios non mittetur Antichristus*. Hoc syllogismo tota hæc secunda demonstratio continetur, cuius quot sunt partes, tot profectò vitia sunt. Nihil in materia, nihil in forma integrum est, termini tot sunt, quot duos perfectos efficiant syllogismos. Nam vt *maiorem* primò, deinde *minorem* excutiamus, quòd statuis ad eos non esse mittendum Antichristum, qui Iesum Chri-

ſtum omnium maximè receperunt; id eſſe verum fateor, ſi quem ſemel receperunt, eum perpetuò retinent: hoc ergo in illa propoſitione fuit addendum, ſine quo ea nihil valet. Non enim ad expellendum Antichriſtum ſatis eſt, Chriſtum aliquando recepiſſe, ſed in Chriſto permanere, Chriſtíque doctrinam puram atque incorruptã conſeruare, hoc demum firmiſſimum eſt aduerſus Antichriſti impetus præſidium. Qui verò nomen Chriſto ſemel dederunt, & tamen Chriſtum deinceps contemnunt, datámque Chriſto fidem nefariè violant, ij facillimum ad ſe Antichriſto aditum prębent, viaſque omnes aperiũt. Quòd autem deinde aſſumis in minore, Romanam eccleſiam & fidei Romanæ ſocios Chriſti Ieſum maximè recepiſſe, totum eſt ἀμφίβολον & captioſum. Etenim Romanæ eccleſiæ nomen ὁμωνυμίαν habet. Si primam illam intelligas eccleſiam, quam & Apoſtolus laudat, & patres Antiqui celebrant, ei tantum tribuam, quantum illi eccleſiæ concedi fas eſt. Quanquã non video quemadmodum Chriſtum illa eccleſia magis receperit, quàm ceteræ omnes, Alexandrina, Hieroſolymitana, Antiochena, quæ primis illis tẽporibus florentiſſimæ fuerunt, & Chriſtum certè non minùs, quàm illa, receperunt. At verò inter hanc tuam Romanam, illámque veterem tantũ intereſt, quantum inter domum Dei, & ſpeluncã latronum, hominem viuũm, atq; hominis mortui cadauer, virginem infantulam, & eandem adultam meretricem. Præter enim ipſum Eccleſiæ

siæ Romanæ nomen nihil ferè veteris ecclesiæ reliquum habet. Quanquam ergo antiqua Ecclesia Romana Christum vel maximè receperit, & Romanæ ecclesiæ socij fidem Christianã fortissimè defenderint, tamen illę laudes nihil ad hanc Romanam ecclesiam pertinent, quæ Christum ipsum iamdudum respuit, & fidem Christianam furiosis armis oppugnat. Iam vides, Sandere, tuę Demonstrationi securim esse inflictam, quando à prima ecclesia Romana, quæ fuit optima ac purissima, tuam hanc distinguo, cuiusmodi, ea nunc est, quam verissimè licet Satanæ synagogam, errorum ac mendaciorum sentinã appellare. Illud vnum nunc restat vt doceas, hãc Ecclesiam illi antiquæ esse per omnia similem: quod tu ne quidem conaris facere: tamen id vt faceres, tuæ Demonstrationis ratio postulauit. Quid enim illud est recepisse Christum, si post à Christo defecerit? Itaque aut doce non defecisse, quod nunquam poteris, aut te Sophistam esse confitere, quod certè negari non potest. Quod enim causæ summam cont[illegible]et, non attingis: quod nulli dubium fuit, id vnum tu dubium facis. Sic enim ais, *nihil hîc dubium est præter id vnum, an socij Romanæ fidei maximè omnium receperint Iesum Christum*. Imò id est multò magis dubium, Sandere, an fidei Romanę socij, qui multis iam sæculis vixerunt, à maiorum fide degenerarint: vel hoc potius ne dubium quidem videri potest cuiquam, qui Romanos hos cum illis priscis, & hanc Romanam Ecclesiam cum

C

illa antiqua contulerit. At tu, quia quod dubium fuit non potes explicare, fingis id esse dubium, de quo nullus vnquam dubitauit. Itaque Romanæ ecclesiæ laudes amplificas, & quicquid ferè fuit vnquam de illa ecclesia scriptum honorificè, cumulas in hunc locum, quasi id quæratur, qualis illa fuerit aliquando, non qualis hodie sit. Sed tamen hi testes quos profers, quid dicant audiamus, ne quod non dicunt, dicere forsan alicui videantur.

Rom. 1. 8. Paulus Deo gratias agit, *Quod Romanorum fides in toto orbe annuncietur*. Quid tum verò? Celebris fuit Romanorum fides, eamque omnes laudabant ac prędicabant, ergóne fieri non potuit, vt vnquam deficeret? Ita ad Thessalonicēses scribit, *In omni loco fides vestra, quæ est in Deū,* 1. Thes. 1. 8. *dimanauit*. Num hinc efficies Thessalonicensium fidem fore perpetuam, quę iamdudum nulla fuit? Christi fidem & Romani & Thessalonicenses initio susceperant, numero frequentes, studio constantes, pietate ardentes. Eos Apostolus laudauit, quandoquidem erant laude dignissimi. At si vestram hanc degenerem atque adulterinam fidē, Apostolus de cœlis post tam multos annos delapsus recognosceret, an (putas) laudaret ac comprobaret? Qui Galatas, quòd nonnihil à fidei curriculo recto deflexerant, tam grauiter reprehēdit, quibus tandē verbis & quo genere orationis vestrā perfidiam exagitaret? Vt Papam, Episcopos, Cardinales, Monachos, Fratres, Sacrificos, ceterosque acciperet? Nihil illæ

laudes

laudes ad vestram hanc ecclesiam pertinent, cuius non fides, sed perfidia toto terrarum orbe circumfertur. Quòd ecclesiæ veteris Romanæ fidem Apostolus prædicauit, id non eiusdem immutabilem perpetuitatem ostendit, sed vestræ perfidiæ crimen auget, qui quam maiores vestri fidem tenuerunt, eam vos prodidistis. Id quod clerici Romani confitentur in epistola ad Cyprianum: *Quarum*, inquiunt, *laudem & gloria degenerem fuisse maximum crimen est.*

In Epistolis Cypriani. epistola 31.

Sed patres deinde admodum multos commemoras, qui ecclesiæ Romanæ præclarum testimonium dixerunt. At illi patres tum vixerũt, quando horum temporum prauitatem videre nõ potuerunt. Ignatius ecclesiam Romanam ἀξιάγνον appellauit, hoc est, si interpreti tuo credimus, *castissimam*, eamque ait *præsidere in loco regionis Romanorum*, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων. Fuisse illam ecclesiam *castissimam* tum quidem, quando hæc scripsit Ignatius, non negabo. Do etiam loco illam Romanæ regionis *præsedisse*, id est, illius regionis ac prouinciæ fuisse μητρόπολιν. Verùm, quamobrem ita loquutus est restrictè, vt eam duntaxat in loco regionis Romanorum præsidere dixerit? Cur nõ scripsit potius, ἥτις προκάθηται ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ? Sed illud infinitum Romanæ ecclesiæ imperium, tuamque Sandere, *visibilem Monarchiam* Ignatius tuus, vt videtur, ignorauit. Non enim tam frigidè, tamque attenuatè scripsisset, si Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum dominam

Ignatius.

iudicasset. Sed optat deinceps, vt firma sint, *quæ illi docentes præcipiunt*. Quid ni enim optaret, vt quæ vera traderent & docerent, ea essent firmissima? Polycarpus cum ecclesia Romana cómunicauit, eique Anicetus episcopus, vt scribit Eusebius, τὴν εὐχαριστίαν παρεχώρησεν, hoc est, non vt tu interpretaris, *peragere sacrum permisit*, sed *Eucharistiam*, in ecclesia, societatis cum illo suæ, communionisque testem, *præbuit*. Quanquam enim de paschate dissentiebāt, tamen erāt in cæteris rebus coniunctissimi, vt nullo modo propter istam causæ leuissimæ controuersiam ab Eucharistia, fidei ac charitatis mutuæ symbolo abstinerent. Quid ista nunc ad causam præsentem pertinent, quando nec Anicetum quisquam episcopum extitisse sanctum, & Catholicum dubitat, & nostris pontificibus omni ex parte dissimilem fuisse constat? Si nunc rediret è superis Polycarpus, Romanamque ecclesiam, cum qua olim cómunicauit, repeteret, nec ille Gregoriū vestrum pro episcopo agnosceret, nec cum ista Ecclesia commercij aliquid haberet, nec illum superbus pontifex vel aditu & Salutatione dignum omnino iudicaret. Alia nunc enim est ac olim fuit ecclesiæ forma, alij pontificum mores, alia Romę religio. Irenæus verissimè dixit fidē Apostolicam *per successionem episcoporum* ad suā ætatem peruenisse. Quod quidem non in Romana duntaxat ecclesia, sed in cæteris etiam valuisse significat, quando paulò ante ait, *Longum esset omnium ecclesiarum enumerare successiones.*

Irenæus.

Sic

Sic enim oratio cohæret, quasi dicat, Potui quidem omnium ecclesiarum, quas Apostoli instituerunt, exempla commemorare, atque hæreticis obijcere, in quibus eadem adhuc fides, quam Apostoli docuerunt, episcoporum successione continuata permansit: Verùm quia id longum est, sufficiet ecclesiæ Romanæ successionem explicare, quam duo gloriosissimi Apostoli Petrus & Paulus instituerunt, quæque & maxima est, & antiquissima, & omnibus nota. Iam verò de illa vetere Romana ecclesia non quærimus, & illos duodecim, quos Irenæus recenset, ecclesiæ Romanæ Episcopos fidei Apostolicæ custodes fuisse fidelissimos ac diligentissimos confitemur. Locum vestri pontifices eundem occupant, quē illi tenuerunt, fidem iam multis sæculis amiserunt. Ex loci successione nunquam poteris, Sādere, fidei successionem comprobare.

Romanam ecclesiam Tertullianus laudauit. Fateor: Nam erat quidē illo tempore laudatissima. Sed illas laudes cum alijs etiam ecclesijs communicauit, ne fortè putes solam ab illo laudatam esse ecclesiam Romanam. Etenim & Corinthiacam, & Philippensem, & Thessalonicēsem, & Ephesinam antè commemorat, quàm ad Romanam accedit: Atque apud illas Ecclesias ait, *Cathedras Apostolorum suis locis adhuc præsidere, ipsasque earum authenticas literas recitari, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscuiusque.* Has omnes ecclesias, quæ literas Apostolorum, vocémque seruarunt, Tertullianus hære- *Tertullianus.*

ticis omnibus ſpectandas propoſuit, vt illarum non minùs, quàm Romanæ eccleſiæ exemplo diſcerent, quid eos de fide ſentire oporteret, & tum Romana eccleſia, quam ei Apoſtoli cum ſanguine ſuo doctrinam profuderant, conſtanter tenuit, nunc autem penitus abiecit, vt nihil iā in Eccleſia Romana veteris illius aut ſanguinis, aut doctrinæ reliquum ſit. Præſtò autem ſibi inde authoritatē eſſe dicit, quandoquidem erat illa Aphricanis proxima eccleſia, ex earum numero, quas Apoſtoli fundabant, vt ſi quam vellent Aphricani eccleſiam Apoſtolicam conſulere, ex qua authoritatem peterent, Romam breui itinere, marique traijcerent. Si Romanam Ecclesiam videre Origenes cupiebat, quid hoc ad huius Eccleſiæ commendationem facit, in qua nihil antiquæ Romæ præter nomen remanet? E

Origenes.

Cypriano quod affers leuiſſimum eſt. Cornelio epiſcopo confitente tota quodammodo eccleſia confeſſa eſt, quia erat omnium vnus animus eademque vox: In quo veterem laudem Eccleſiæ Romanę ab Apoſtolo celebratā ſe dicit agnoſcere Cyprianus. Et illius eccleſiæ eo tempore illuſtrem fuiſſe fidem concedimus. Sed quando hāc Eccleſiam Romanam cum illa comparas, id tibi ſumis, quod neque nos dabimus, neque tu probabis vnquam. Nec tum ad Romanos accedere perfidia potuit, quandoquidem illi veram fidē Apoſtoli ipſius verbis ac teſtimonio prædicatam retinebant. Hanc ſi nunquam dimiſiſſent, nullum ad Romanos aditum habere perfidia

Cyprianus.

fidia potuisset. Et si videtur aliud esse quod dicit Cyprianus, Ecclesiam Romanam non posse falsis quorundam schismaticorũ rumoribus falli, quin tandem illorum fraudem perfidiamque intelligat. Marcellinum Papam Dijs immolãtem Synodus Sinuessana clementer admodum tractauit, atque ad confessionem peccati partim orationis grauitate, partim testimoniorum authoritate induxit, vt non tam episcoporum suffragijs, qui ad causam cognoscendã ac iudicandam conuenerant, quàm sua ipsius voce damnatus videretur. *Ex ore*, inquiunt, *tuo damnaberis & ex ore tuo iustificaberis*. Atque hoc modo se malle cum illo agere profitentur, quia erat pontifex, & sacerdotem suum à præsule iudicari minimè oportebat. *Non enim*, ait Synodus, *debet prima sedes à quoquam iudicari*. Quod de quouis episcopo intelligi, nec ad Romanum duntaxat Episcopum pertinere quis dubitat? Ex hoc tamen huius Marcellini Sinodique exemplo constat, & põtificem Romanum Idololatriæ scelere obligari, & ab episcopis damnari posse. Hunc enim esse à Synodo damnatum, septies, & quidem disertè legimus. Quod autẽ multi episcopi ad Romanam Ecclesiam tãquam ad portum communionis catholicæ confugerint, id & verum esse intelligo, & nihil ad pontificis confirmandam tyrannidem valere video. Neque enim episcopi olim, quando erant iniurijs aliorum lacessiti, ad vnum soliti sunt Romanum Episcopum prouocare, sed eò se conuertebant, vnde spes auxi-

Sinuessana Synodus.

Athanasius

lij aliqua affulsit, & imprimis Ecclesię, atque Episcopi Romani consilium, gratiam, operam, fidem exoptabant, quam sibi ad se purgandos, molestiaque liberandos commodissimam esse sentiebant. Erat enim olim Romanæ sedis summa apud omnes authoritas propter & vrbis amplitudinem, & religionis integritatem, & hominum constantiam. Horum nihil iam remanet, & status ille pristinus iamdudum obsoleuit. *Ambrosius.* Ambrosius verò Catholicos episcopos rectè appellare eos potuit, qui cum Romana ecclesia conuenirent, quia tum fuit ecclesia Romana maximè Catholica, & Romani episcopi fidē Catholicam summa diligentia ab hæreticorum calumnijs ac blasphemijs vindicabant, vt nullo modo Catholici esse possent, qui erant à Romanæ ecclesiæ communione alieni. Sed quid prodest fuisse Catholicam, nisi semper in eadem fidei Catholicæ possessione persistat. Etenim nunc Romana ecclesia non modò Symbolum Apostolorum *contemerauit*, sed fidē etiam vniuersam prodidit, & palam à Christo defecit. At Romæ esse fidem illam Hieronymus testatur, quam Apostolus prędicauit. *Hieronym.* Id quidem libenter Hieronymo concedam, qui ante mille ac ducentos annos vixit, nec quid deinceps euenturum esset, præuidere potuit. Habuit Romana ecclesia Hieronymo viuo fidem Apostolicam, quam nunc neque habet, neque vt omnino quisquam habere possit, permittit. Imò Hieronymus, inquis, hanc fidem Pauli authoritate municam *posse mu-*

tari

tari negat. Vbi verò sic illā fidem muniuit Paulus, vt nunquam mutari posset? Quibus verbis, quo priuilegio, qua authoritate? An, qui aliquid laudat, id perpetuum & immutabile fore prædicit? Quamobrem ergo Romanam ecclesiam monuit Paulus, ne sua dignitate nimium confideret? Si enim Deus *ramis naturalibus* non pepercit, metuendum esse, ne ipsi minùs parceret: & quidem omnino fore, vt, nisi permanserit in benignitate, aliquando excideretur. Quorsum ista comminatio spectabat, si fides Romanę Ecclesiæ sic erat firmis, certisque præsidijs munita, vt nullam in omnia tempora mutationem pertimescere deberet? Præclarè verò actum esset cum illa ecclesia, si quicquid accideret, quicquid Antichristus tentaret, si quamcunque ecclesia Romana religionem profiteri vellet, eius fidem perpetuò esse Apostolicam necessarium esset. Deliras Sandere, si isto modo fidem personis & locis alligatam esse somnias. Hieronymus negat aliter posse ne quidē ab Angelo prędicari, quàm olim Romæ fuit, eamque fidem, quam Apostolus laudauit, immutabilem esse affirmat. Nimirum fides nunquam mutatur, & semper in Ecclesia Catholica permanet, & aliā fidem nemo docere potest, præterquam eandem illam, quam Romanis Paulus tradidit, quamq; laudibus ornauit. Eam nunc fidem Romana ecclesia iactat, non ostendit.

Rom. 11.20 21, 22.

Optatus verò quid ni lætetur, quod cum Syricio communionem habeat, qui Petro & sede

Optatus.

& fide succeſſit? Si nunc ad viuos remigraret, à Gregorij veſtri communione profectò abhorreret. Et Romanorum fidem Auguſtinus prædicare potuit, quam nos execrari debemus. Hæc enim fides Romana ab illa magnopere quidem diſcrepat, quam Auguſtinus celebrauit. Olim fuiſſe laudabilem Romanæ Eccleſiæ fidem non negamus, quo magis flagitioſam eſſe hodiernã illius eccleſiæ ἀποστασίαν atque perfidiam intelligimus. Cæleſtino Cyrillus tantum tribuit, quãtum pio & catholico epiſcopo tribuendum fuit, vt eius in hæreſi damnanda ac profliganda ſententiam requireret, cuius & fidem integerrimã, & authoritatem eſſe apud omnes Eccleſias grauiſſimam videbat. Quid ſi verò Romanam Eccleſiam Proſper *mundi caput* appellauit? Quis id aliter interpretetur, quàm de eximia quadã fidei dignitate, qua Romana Eccleſia, alias omnes ſuperauit? Quod quãquam de illis temporibus fatemur, de noſtris tamẽ multiſq; retrò Sæculis ne ſomniari quidẽ, niſi ineptiſſimè, poteſt. Quę caput fuit olim omnium Eccleſiarũ, eam nunc meritò *caudã* propter errorũ omnium multitudinẽ appellemus. Arnobium multò ſeriùs introducis, quàm oportuit, quem vno ſaltem ſæculo hac ætate, in qua illum ponis, antiquiorem fuiſſe cõſtat. Et verò ſiti pereat eſt neceſſe, quemadmodum ſcribit Arnobius tuus, quiſquis ab illa eccleſia receſſit, quæ ædificata eſt in ea petra, quã Petrus agnouit & prædicauit. Quare aut redite ad hanc eccleſiam, aut ſiti perpetua vobis eſſe

Auguſtin. *Cyrillus.* *Proſper.* *Arnobius.*

pereundum

pereundum intelligite. Eugenius Carthaginē- *Eugenius.*
ſis Romanam Eccleſiam conſulere voluit, quandoquidem illam cęteris omnibus pręſtantiorem eſſe intellexit. Caput enim omnium eccleſiarum dicitur, nō quòd eccleſijs cæteris imperaret, ſed quòd omnium Eccleſiarū pręſtātiſſima, florentiſſimaq; eſſet. Hoc tui, Sandere, Pontificis nō euincit in omnem orbem Chriſtianum, quem ille ſibi ſumit, & exercet dominatum. Primaſius ve- *Primaſius.*
rò tuus, & Procopius ſententiam dicunt paulò *Procopius.*
remiſſiorem, quàm Romanę Eccleſiæ conſuetudo poſtulat. Nihil enim eſt, quòd claram eſſe Romanorum fidem, quodque ab illis præcipuè Chriſtianę fidei diſciplinam ſuſceptam eſſe ſcribunt. Quid ſi enim clara fuerit olim fides Romanorum? Nunquámne obſcurari potuit? Quid ſi Romani fidem Chriſtianam omnium maximè venerati ſunt? Quæ tandem neceſſitas cogit, vt proinde perpetuò eandem fidem profeſſos eſſe fateamur? Dum iſto modo, Sandere, Demonſtras, parum curas, vt aut tu, quod inſtituiſti, doceas, aut quid nos de tuis Demonſtrationibus iudicemus. Ad Gregorij tempora deducta de- *Gregorius.*
monſtratio langueſcat eſt neceſſe. Erat enim nunc quidem pro foribus Eccleſię Antichriſtus, atque id tantum expectabat, dum aditus pateret, qualem optabat: quo non ita multis poſt annis patefacto, in arcem Eccleſiæ Romanæ irrupit, eamque ſummo deinceps ſemper ſtudio firmauit ac communiuit. Quanquam ergo Gregorium Magnum magni facio, virumq; piū

fuiſſe minimè dubito, non tamen tantum illius teſtimonio tribuendum eſſe iudico, vt demonſtrationis in hac cauſa momentum ei, pondusque deferam. Quare iurent apud Gregorium Schiſmatici, ſe in Romani Pontificis communione permanſuros: nos iuramus, Antichriſtum eſſe pontificem Romanum, illiuſque communionem & fugimus, & ſemper, volente Christo, fugiemus. Iſidorus & Synodus Sexta nihil pro Antichriſto tuo reſpondent. Nam & mos antiquus fuit, vt cùm Romanus, tum cæteri patriarchæ Synodos confirmarent: & Apoſtolicam confeſſionem de duabus Christi voluntatibus, quas Monothelitę, in Sexta Synodo damnati, ſuſtulerunt, tunc etiam Romana eccleſia tenuit, & tamen hæc confeſſio minimè obſtabat, quo minùs eccleſia illa ſeruire poſſet Antichriſto. Cætera quæ ſequuntur teſtimonia, tacitus dimittā, quia ſunt ex eorum genere, quæ non habent legitimam in hoc iudicio fidem. Si enim volumus omnes Antichriſti obæratos recipere teſtes, nullum vnquam diſceptandi finem faciemus, nec vnquam Antichriſtum ſuorum teſtimonijs conuincemus. Nam iſti, quos nominas, Antichriſto vel obſcuriùs vel illuſtriùs regnante vixerūt, & characterem aliqua ex parte illius beſtiæ ſuſceperunt. Obſcurius autem regnaſſe Antichriſtum intelligo, quando nondum erat *gladium ciuilem* adeptus, & eccleſiaſticam duntaxat tyrannidem occupabat. Poſtquam autem cum gladio Eccleſiaſtico politicum coniūxit, tum verò

Iſidorus.
Synodus ſexta.

vniuerſa

vniuersa Antichristi insignia gestauit. Bedam & Bernardum nolim verbis violare, qui quanquam erant temporum suorum maculis aspersi, multis tamen virtutibus & singulari doctrina excellebant, & perditum ecclesiæ suę statum deplorabant. Bernardus Eugenio Papæ, Innocētioque secundo amicissimus fuit: quos & laudat interdum, vtpotè illorum studiosus, & reprehēdit liberè, vt virum pium decuit: & quidem Bernardo non omnino videtur ignotus fuisse Antichristus. Cùm enim Romanam ecclesiam omnibus vitijs & flagitijs oppressam esse sæpissimè queritur, & hominum illorum summam nequitiam acerbissimè insectatur, tum pōtificem Romanum interdum non veretur palā vocare Antichristum: *Ipse est Antichristus*. Quod quo animo dixerit, & quàm rectè senserit, ipse Bernardus viderit. Mihi Bernardus nulla in re magis, quàm in hac, Bernardus, id est, diuinus videtur. De reliquis tuis Patribus & Concilijs taceo. Erras enim Sandere, si his testimonijs Antichristum Romanum absolui posse confidis. Nam & illi Patres Romani pontificis clientes erant, & hæc concilia coacta sunt, vt Romanorum pontificum ambitioni inseruirent. Qui reus est, testis esse non potest.

Beda. Bernardus.

Bernardus de conuers. Pauli. in Cātic. cant. Serm. 33.

Iam vides, quàm nihil istis testimonijs profeceris, quamque superuacaneè tam magnum in ijs colligendis laborem insumpseris. Id verò quod de Magdeburgensibus commemoras, ridiculum est, tuamque in Demonstrando im-

prudentiam prodit. Quid ſi enim aut Magdeburgenſes in hiſtoria temporum omnium conſcribenda horum ſcriptis vſi ſunt, illóſque grauiſſimos authores & teſtes rerum iudicarunt, quia nulli erant alij, quos iſtis anteferrent, aut hi Romanam fidem, eccleſiámque laudarunt? Nam & quando illam primi antiquiſſimiq; Patres laudabant, re talis fuit, qualem multis meritò laudibus ornare poſſent: & recentiores iſti ijſdem erant erroribus imbuti, quibus deinde eccleſia Romana laborauit, vt minimè mirandum ſit, ſi in eo eccleſiæ ſtatu libenter acquieuerint, quem tempora ipſa, in quibus quiſque vixit, & communis conſuetudo commendabat. Præditos autem hos omnes Dei ſpiritu fuiſſe, quemadmodum ſcribis, verúmque teſtimonium dixiſſe, quo tandem probas, Sandere, argumento? quia, inquis, ne ab aduerſarijs quidem pro hæreticis, aut falſarijs damnantur. Quid dici ſtolidius potuit? Antiquos Patres Sanctó ſpiritu præditos fuiſſe confitemur, ſic tamen, vt non illorum quæuis dicta pro diuinis oraculis habeantur. Qui ſecuti ſunt ſæculis recentioribus, quanquam ſpiritus ſancti doctrinam in plurimis rebus tenuerunt, tamen multis etiam Antichriſtianis erroribus oppreſſos fuiſſe conſtat. Quare tantùm abeſt, vt iſtorum teſtimonia, quibus eccleſiæ Romanæ fidem amplificant, vera eſſe ſtatuamus, vt ijs nihil omnino leuius, vaniúſq; nobis quidem videatur. Quis enim nouum eſſe puteet, ſi Antichriſtus pro Deo quodam habitus,

omnéſque penè mortales pietatis, & religionis imagine fallens, amicos aliquos & laudatores inueniat.

Quòd autem negas vllam vnquam hæreſim à Romana eccleſia vel ad minimũ tempus defenſam eſſe, atque hic Proteſtantum confeſſionem introducis, reſpondeo hæreſes quidẽ omnes ab eccleſia, pontificeq; Romano ſtatis temporibus & verbis damnari, nec quenquam impunè poſſe palam vel Arrij, vel Macedonij, vel Pelagij, vel Neſtorij, vel cæterorum nefarias hæreſes in eccleſia veſtra defendere & propagare (id enim eſſet manifeſtum perfidię argumentum) tamen & religionem veſtram Chriſti Euangelio contrariam eſſe omnes Proteſtantes demonſtrare poſſunt, & vix vlli vnquam hæretici fuerunt, quorum non aliqua hæreſeos contagio in veſtræ eccleſiæ viſceribus reſidet, quemadmodum deinceps clariſsimis teſtimonijs euincam. Nec verò refert, quid eccleſia veſtra de quibuſdam ſenſerit & ſtatuerit, qui ſeſe à fide & communione veſtra diſiunxerunt, quorum omnibus ſeculis magna ſemper multitudo extitit. Etſi enim pontificum veſtrorum iudicijs Catholicus eſſe nemo potuit, qui non eccleſiam Romanam coleret, & in perfidia quam Antichriſtus inuexit, permaneret, nullis tamen temporibus defuerũt nec epiſcopi, nec presbyteri, nec imperatores, nec populi, nec priuati, qui pro hæreticis ab eccleſia veſtra damnari, quàm Catholicam veſtræ *ἀποστασίας* communionem tueri maluerunt. Nam

quòd repetis ab hæc ecclesia fidem Christi optimè propugnatam esse, id longiore explicatione, defensionéque tua opus habet. Fuit olim ecclesia hæc omnium fidelissima: quis negat? sed quid hoc ad perpetuam fidei successionem valet? vellem non liceret cum Esaia exclamare,
Esai. 1. 21. 22. *Quomodo facta est meretrix vrbs fidelis? Argentum tuum in scorias abijt, vinum tuum permixtum est aqua:* & tamen hæc tua est, vt dicis, certissima & inconcussa demonstratio, qua nihil à quoquam futilius atque absurdius excogitari potuit. Sic tamen concludis quasi necesse sit, Paulum, Ignatium, Polycarpum, cæteros sanctissimos Patres Antichristo testimonium perhibuisse, si Romanus pontifex sit Antichristus, quando tamen illis ne noti omnino recentiores pótifices fuerint. Quid tibi aliud, Sandere, tam pueriliter nuganti respondeam, quàm tuum illud, *Apage has nugas?*

Quod autẽ Christus promisit se suis Apostolis affuturum omnibus diebus vsque ad finem seculi, iam ad electorum ecclesiam pertinet, nec ad Romanum magis quàm ad quemuis alium episcopum accommodari potest. Suis semper aderit Christus, Romano Pontifici nulla sese promissione obligauit, quominus is & impius & hæreticus, & Antichristus esse posit.

Atque hîc vt Antichristum in ecclesia Romana inueniri haud posse persuadeas, aliò nos abducere conaris, vbi illum potiùs, quàm Romæ, quærendum esse existimemus. Etenim Constátinopolitanam

tinopolitanam ecclesiã Antichristo multò, quã Romanam aptiorem esse statuis: & nos Constantinopolim remittis, qua in ecclesia illum æquiùs, & probabilius quæri affirmas. Ita nihil tuâ interest, quo tandem in loco quæramus Antichristum, modò ne quæramus illic, vbi duntaxat & quæri debeat, & possit inueniri: vt Romæ consulas, eamque hac infamia liberes, quid alijs ecclesijs, locisque fiat, minimè curas. Tibi est perinde, siue Constantinopoli, siue Hierosolymis, siue vbicunque sessurum Antichristum iudicemus, dummodo Romam sinamus esse ab ista suspicione liberam. Verùm nihil est, quod Antichristum alibi, quàm Romæ, quæramus, aut Sãderi nostri multiplices errores sequamur, aut omnino longiùs abeamus. Non enim obscurum est, Romæ Antichristum, & nusquam alibi gentium quæri ab ijs oportere, qui Spiritus sancti vestigia in hoc quærendo monstro sequi volunt. Estne enim, Sandere, cum prudentia, scientiaque tua coniunctum, vt Constantinopolin putemus, aut illam esse Babylonem, de qua Ioannes in Apocalypsi meminit, aut vrbem septem montibus insidentem, & cunctis terræ populis imperantem? Si potes hæc aut de Constãtinopoli, aut de vllo omnino alio loco quàm de Roma interpretari, non pugnabo, quò minus alibi quæramus Antichristum: sin hæc ita sunt Romæ propria, vt loco præterea nulli cõueniant, nunquam nos, Sãdere, tuis verbis Roma auertes, nec efficies vt ab illo loco aberremus, quẽ nobis

Spiritus ſanctus tam perſpicuè, claréque deſignauit.

Sed quid affers, quamobrem Antichriſtum Conſtantinopoli potiùs, vt dicis, quàm Romæ quæramus? Quia, inquis, conſtat ex Eccleſiaſtica hiſtoria epiſcopos Conſtãtinopolitanos omnium minimè crediſſe veritati, atque huic eccleſiæ plurimos hæreticos præfuiſſe. Id ne Paulus, Sandere, dixit, quæ eccleſia plurimos eſſet epiſcopos hæreticos habitura, in ea ſeſſurum eſſe Antichriſtum? Nihil verò apud Paulum eiuſmodi reperies, atque hinc potes argumenti tui infirmitatem agnoſcere. Quod Paulus docet, illud eſt, fore vt Antichriſtus apud illos plurimùm poſſit, eóſque ſuis fraudibus fallacijſque implicatos à Chriſto abducat, *qui amorem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Quare mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio: vt damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed acquieuerunt in iniuſtitia.* Hoc ſi potes docere (quod nunquam poteris) non eſſe in eccleſia Romana factum, ibi non eſſe quærendum Antichriſtum oſtendes. Quid enim attinet narrare de nonnullis hæreticis, qui Epiſcopi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ extiterunt? quaſi aut in ſolo Epiſcopo quærendus Antichriſtus ſit, aut ſi epiſcopus hæreticus ſit, populum eſſe ſimilem Epiſcopo ſit neceſſe, aut nulli vnquam pontifices Romani hæretici fuerint. Hoc quanquam impudentia perpetua affirmatis, tamen res ita eſt firmis teſtimonijs cõprobata

2. Theſ. 2. 10. 11. 12.

probata vt de ea nemo possit meritò dubitare. De Liberio Alphonsus disertè scribit, *constat fuisse Arianum*. Lyranus ingenuè scribit, *Multi Papæ inuenti sunt apostatasse*. Quod ipsum etiam à Concilio Basiliensi confirmatur: *Multi pontifices in errores, & hæreses lapsi esse leguntur*. Posui verò Sandere, quemadmodum tu hæreticos nominas Arianos, Monothelitas, alios quos ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse constat, Sic tibi Romanos Pontifices referre, nec minùs multos, nec minùs notos, quos aut dandum est hæreticos fuisse, aut grauissimis plurimísque authoribus, atque adeò Concilijs generalibus fides omnis detrahenda est. Macedonius Constantinopolitanus Spiritus sancti diuinitatem negauit: & Marcellinus Romanus idolis immolauit, eoque crimine damnatus est in Synodo Sinuessena: At Marcellinus & redijt ad fidẽ, & obijt martyr. Et Macedonius non antè hæreticus esse cœpit, quàm episcopus Constantinopolitanus esse desijt. Nestorius Constantinopolitanus Christum in duas diuisit personas: & Liberius Romanus Filium Patri inæqualem esse docuit. Sergius, Pyrrhus, Paulus Constantinopolitani Monothelitæ erant: & erat Monothelita Honorius Romanus, qui vnà cum illis eadem hæresi damnatus est in Sexta Synodo. Quid Anastasium, Ioannem 22. Ioannem 23. alios commemorem, ne fortè me numero vinci putes? Imò verò si potes, Sandere, omnium ecclesiarum annales euoluere, non recuso quò minùs

Alphons. cõtra hæres. lib. 1. cap. 4.
Lyranus in 16. capite Matth.
Concil. Basil. in epist. Synod.
Sozom. lib. 4. 27.

quam ecclesiam plurimos constat hæreticos episcopos, & turpissima hominum monstra habuisse, eam esse sedem Antichristi ambo fateamur. Hic quidem vinci non possum, nec tu potes mecum iusto Sacramento contendere. Nam de Ioanne Constantinopolitano miror à te factam esse mentionem, is se primus *vniuersalem episcopum* nominauit: & semper ab illo tempore Romanus pontifex eo nomine appellatus est. Quid censes? nequiórne Ioannes, qui nomen insitatum affectauit, an Bonifacius tertius, qui & nomen ambitiosum, & authoritatem iniustam non modò sibi assumpsit, sed suis etiam omnibus in perpetuum reliquit? Qui is est, quem Ioannes Constantinopolitanus se esse voluit, Antichristum esse Gregorius clamat: at is est Bonifacius & post illum posteri omnes: Quid ergo est, quò minus illum esse, cum suis, Antichristum statuamus? Quòd verò multos esse nuper affirmas episcopos Constantinopolitanos, qui Spiritum sanctum à Filio procedere negant, fateor, & illū Græcorum errorem damno: sed vestrorum pótificum alia multa sunt non minus tetra: & nisi in omni religione Constantinopolitanos episcopos, Romanis multò esse incorruptiores constiterit, sanè non repugno, quin apud illos, vt tu vis, Antichristum quæramus, Romanos posthac securos esse patiamur. Atque hic huius est præclaræ Demonstrationis exitus.

Tertia Demonstratio, quod Papa non sit Antichristus, quia non Satanas, sed Christus cathedram Petri & primùm Romæ constituit, & in æternum custodiuit.

N. SANDERVS.



VIDIMVS finem, ob quem Antichristus venire permittitur, nullo modo cohærere cum ea opinione, ut Papa sit Antichristus, nam qui communicarunt omni ætate cum Papa, fuerunt præcipua totius ecclesiæ lumina, quæ minimè omnium permitti debuerunt, vt ab Antichristo seducerentur. Is enim venit, vt non nisi eos, qui pereunt, quique veritatem non recipiunt, per signa mendacia seducat. Nunc ordo postulat, vt causam efficientem Antichristi ob oculos etiam ponamus. Aduentus ergo Antichristi est secundum operationem Satanæ. 2. Thes. 2. & in Apoc. cap. 13. Draco dicitur dedisse illi virtutem suam. Romani autem pontificis aduentus non erat secundum operationem Satanæ, sed secundum Christi operationem: Papa igitur non est Antichristus. Ecclesia Romana (inquit Irenæus) à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo fundata & cõstituta est, qui Lino episcopatum ecclesiæ administrandæ tradiderunt: Succedit ei Anacletus: post quem tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens: huic succedit Euaristus, Euaristo, Alexander, ac deinceps Sixtus, Telesphorus, Higinus, Pius, Anicetus, Soter, & nunc duodecimo loco ab Apostolis episcopatum habet Eleutherius hac ordinatione & successione, ea, quæ est ab Apostolis in ecclesia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsque ad nos.

Super Cathedram Petri ædificata ecclesia.

Lib. 3 cap. 3.

Non Diabolus sed Apostoli Iesu Christi fundarunt ecclesiam Romanam.

Qui verba Irenæi rectè perponderit, animaduertet, eandem rationem, quæ ab ipso ponitur, nostris etiam temporibus valere. Nam vt illa successio pontificum Romanorum, quæ Irenæi temporibus floruit, vsque ad nos perdurauit, sic in eadem successione permansit etiam ea, quæ ab Apostolis est traditio, & veritatis annuntiatio. Nec verò vllum tempus nominari potest, in quo quispiam Romanus pontifex quicquam decreuerit pro ca-

tholicæ fide habendum, quod maiores ipsius velut hæreticum aut impium abiecissent. Itaque tam Optatus, quàm Augustinus pōtificum Romanorum seriem ad sua vsque tempora deducunt, vt ex ea re ostendant, quæ sit vera fides, & ecclesia. Idem in suis Chronicis Eusebius primùm, deinde Hieronymus, tum autem Prosper, pòst Beda, & demum Regino, Marianus Scotus, Shafnaburgensis, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Sigebertus, Gotfridus, Viterbiensis, Trithemius, aliiq; permulti fecerunt, quorum nemo ecclesiam Romanā vllius hæreseos sub vllo vnquam pontifice accusat. Imò Hieronymus ad Damascum scribit, Tuæ beatitudini, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum Agnū comederit, profanus est. Quicunq; tecum non colligit, spargit: hoc est, Qui Christi non est, Antichristi est. *Tantū igitur abest, vt Papa sit Antichristus*, vt ille potiùs Antichristi sit, qui non communicat cum Papa. *Itémque Augustinus in Psalmo contra partem Donati, sic ait,* Venite fratres, si vultis, vt inseramini in vite. Dolor est cum vos videmus præcisos ita iacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. & in ordine illo patrum quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. *Super cathedram igitur Petri Hieronymus scit* ecclesiam ædificatam: *& ibi iam sedet Antichristus? Atqui contra Petram à Domino constitutam non prævalet Antichristus.* Successio Pontificum Romanorum (*inquit Augustinus*) est Petra, quam superbæ inferorum portæ non vincūt: *& nunc vicit eam diaboli filius Antichristus?* Ergóne diuina prouidētia ideo Petrum Romam deduxit, *vt Eusebius testatur, ne Antichristus gloriosa & illustri sede careret, imò vt per Christi & Apostolorum principis nomē, ecclesiam Dei efficaciùs falleret, ac seduceret? Quæ opinio quid aliud, quàm Christo id attribuit, quod propriè Diaboli opus est?*

Lib. 2. cont. Parm. Augustinus epist. 165.

Super Cathedram Petri ædificatur ecclesia.

Successio Cathedræ Petri est inuicta Petra.

Lib. 2. cap. 13.

Antichristus venit secundum Satanæ operationem. *Sed si Protestantes verum dicunt: Antichristus venit secundum operationem Christi: quia venit in illam sedem, & authoritatem capit ab illa sede, quam Christus per Petrum, & Paulum Apostolos suos Romæ fixit. Christus igitur secundum Protestantes*

est Satanas. O vocem horrendam, sed necessariò veram, si Papa est Antichristus. Aut dicant mihi, quis Petrum, aut Paulum deduxit Romam? nónne Christus? Quis illos ecclesiam ibi fundare, & episcopatum constituere iussit? Nónne Christus? Ille enim cum Apostolis, & eorum posteris docentibus, & baptizantibus omnes gentes erat omnibus diebus (sicut promiserat) vsque ad consummationem seculi. Ille candelabra episcoporum vel mouit de loco suo, si à veritate deflexerunt, vel immobilia custodiuit, si manserint in veritate. Cùmq; minoris virtutis non sit, quæsita tueri, quàm ea, quæ nondum habeas, comparare, profectò vt prima erectio cathedræ Petri necessariò fuit Christi, & non Satanæ opus, sic eiusdẽ cathedræ cõfirmatio, & perpetua stabilitas, Christi & nõ Satanæ opus est. Qui ergo dicunt Antichristũ sedere in cathreda Petri: vel Christum in Satanã, vel Satanam in Christũ conuertunt. Quomodo enim Satanas eripuit Christo illam cathedram, quæ certè Christi semel fuit, & ita fuit Christi cathedra, vt omnium prima in toto orbe haberetur. Petrus (inquit Prudẽtius) cathedrã possidẽs primã, recludit creditas æternitatis ianuas. Et in Ecclesia Romana (inquit Augustinus) semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus. Hanc igitur primam cathedram, hunc Apostolicæ ecclesiæ principatum Satanas Christo abstulit? nec in alia sede vlla, quàm in ipso capite omnium ecclesiarum, quam Filius Dei per duos gloriosissimos Apostolos insigniter præparauit, Antichristus ipse consedit? Quid est hoc aliud, quàm portas inferorum præualuisse aduersus petram, supra quam Christus ædificauit ecclesiam? Hoc factum esse credant Protestantes, si euangelio non credunt. Nobis non licet sedem Christi, & Petri, vel Satanæ vel Antichristo concedere.

Mat. 28. Apoc. 1. & 2.

Confirmatio cathedræ Petri est opus Christi.

In hymno de Laurentio epi. 162.

Prior Demonstratio negat ad illos ecclesiæ Romanæ socios & obseruatores seducendos potuisse mitti Antichristum, qui omnium optimi & semper maximè catholici fuerunt: hæc verò negat cathedram Petri aut Satanæ opus fuisse, aut à Satana occupari potuisse: idq; ob multas causas. Primùm, quòd ea cathedra omnium catholicorum patrum iudicio sit à Christo fundata, & custodita, velut petra immobilis, aduersus quam non præualent inferorum portæ. Deinde quod honor & gloria nominis Christi minimè patiatur, vt prima omnium cathedrarũ

Cur Petri cathedra nõ possit esse Antichristi cathedra.

I.

II.

III. *Christi, in manus Antichristi tradatur. Præterea, quòd v- quam doctrinæ mutationem in ecclesia Romana vnquam extitisse, ex nulla ecclesiastica historia, quæ digne fide sit, compro-*
IIII. *betur. Huc addi posset illa etiam ratio, quòd nullum opus Sa- tanæ tot seculis consistere, ac valere permittatur, quot seculis, vel protestantium iudicio, ecclesia Romana Primatum supra om- nes ecclesias obtinuit. Verum enim est, quod Gamaliel dixit, si*
Act. 5. est ex hominibus concilium hoc, aut opus, dissoluetur. *Ex hominibus, autem esse dicitur, quod ex Satana est, qui se- ducit homines. Cum igitur cathedra Petri steterit, atque etiam floruerit per annos mille quingentos, & amplius, quanto sanè temporis spatio nulla vnquam monarchia immobilis perman- sit: cùmque nec aduersarij negent eandem Petri cathedram per annos ad minimum septingentos stetisse, ac floruisse, quot sanè annis neque Persarum, neque Græcorum, monarchia domina- est, sine omni controuersia non ex hominibus, aut ex Satana est hoc opus, verùm ex Deo; & ideo per homines dissolui non po- test. Antichristi verò aduentus est per Satanæ operationem. Papa igitur, qui sedet in illa immobili, & firma Petri cathe- dra non est Antichristus.*

Guilielmus Whitakerus.

III. POstquam de fine, cuius gratiâ venire Antichristum oportebat, disseruisti, nunc ad causam efficientem progrederis, ex qua demonstrare conaris pontificem Romanum non esse, vt nos dicimus, Antichristum. Quòd finē ipso principio priorem feceris, non reprehendo: aut rationem habes, aut certè exemplum quo te defendas. Quare quæ nunc affers, expendamus, causámque istam, quam efficientem esse statuis, examinemus, vt an ea sit eiusmodi, quæ Romanum pontificem nullo modo Antichri-stum

stum esse patiatur, certius intelligamus. Ista enim argumenta, quæ ex insitis proprijsque caussis sumuntur, magnam vim ad Demonstrandum habent, & rem profectò, Sandere, vel tua eruditione dignissimam, vel Romani pontificis, cuius labentē cathedram fulcire cupis, caussæ opportunissimam faceres, si isto genere Demonstrandi docere posses, non esse Romanum pontificē, quemadmodum nunc vulgò ferè existimatur, Antichristum: quæ quidem opinio sic penitus in hominum animis inhæret, vt euelli, nisi clarissimis Demonstrationibus, nunquam possit. De fine accepimus, in quo explicando magnoperè & frustra elaborasti. Nullus enim finis Antichristi excogitari potest, qui non Romano pōtifici, atque ecclesiæ aptissimè conueniat. Quæ verò nunc sequuntur de efficiente causa, multò sunt adhuc ad quæstionem confirmandam ineptiora, vt mihi quidem hæ tuæ rationes Declamitationibus quibusdam Quodlibetarijs, quàm Demonstrationibus, similiores videātur: nisi fortè aut demonstrare illum dicamus, qui verisimilitudines, nescio quas, & coniecturas cōsectatur, exiguas, leues, parum necessarias: aut quicquid nunc pro Romano pontifice dici à quoquam possit, id pro certissima demonstratione haberi debeat.

Sed tamen hanc tuam Demonstrationem ab efficiente causa ductam videamus. Antichristi autem quam tandem Sandere, causam efficientem esse statuis. *Aduentus*, inquis, *Antichristi*

qui

2. Thes. 2. Apoc. 13. *est secundum operationem Satanæ: & Draco illi dicitur suam virtutem dedisse.* Rectè quidē hucusq;. Antichristi enim author parensque non Deus erit, sed Satanas, & Draco ille, qui est Diabolus. Hoc quidem omnes, Sandere, intelligunt & probant: sed, quemadmodum ex istis Demonstrationem tuam conficias, expectamus. Sic autem concludis, *Antichristi aduentus est secundum operationem Satanæ: Romani pontificis aduentus non est secundum operationem Satanæ: Romanus igitur pontifex non est Antichristus.* Assumpsio, Sandere, falsa est: eam quemadmodum confirmes, restat vt consideremus, sic autē subiungis, *pontificis aduentus est secundum operationem Christi, nō ergo Satanæ.* Consequens valet: sed de antecedente omnis quæstio est. Nos enim pontificū aduentū non à Christo, sed à Satana profectum esse defendimus. Quid tu hîc affers, ex quo Pontificū hunc aduentum Christo, non Satanæ & Draconi tribuamus? Irenæum introducis, qui de Romana ecclesia honorificè scribit, eamq; à duobus gloriosissimis Apostolis, Petro & Paulo fundatam & constitutam esse dicit. At hæc nulla ratio est, quò minùs, ij pontifices, ad quos Antichristi nomen pertinet, & Petro, & Paulo dissimiles extiterint, nec à Christo, vt illi, sed à Satana in ecclesiā Romanam immissi fuerint. Multæ sunt in tua Demonstratione fallaciarum insidię. Quòd enim temporum mutationem non attendis, in eo παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου peccas: quòd pontifices omnes Romanos Petro Pauloque

que similes facis, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεις: quòd disputas, quia Romanam ecclesiam hi duo Apostoli instituerunt, & hi à Christo profecti sunt, proindè quicquam deinceps in illa ecclesia valuit, ab his Apostolis atque à Christo manauisse, hoc συμβεβηκότος turpissimum vitium est. Nos verò & fundatam ab Apostolis esse Romanam ecclesiam cõfitemur, & in Apostolicis institutis permansisse fidelissimè longo temporis decursu non negamus. Sed nihil in hac ratione video, quod cuiquam persuadeat, non posse & ecclesiam Romanam ab ea fide deficere, quam initio didicit, & pontifices subsequentes non esse suis maioribus pares. Quid enim? Solámne Romanam ecclesiam Apostoli fundarunt? aut solam hanc duo Apostoli instituerunt? At Hierosolymitanam ecclesiam omnes Apostoli, Samaritanam Petrus & Ioannes, Antiochenam Petrus & Paulus, Ephesinam Paulus & Ioannes, cæteras reliqui Apostoli vel plures, vel vni fundarunt, & sacris institutis informarunt. Atque Irenæus ecclesiam Romanam hoc loco commemorat, non quòd aliquid singulare haberet illa pontificum successio, sed quia, vt ipse scribit, & longum erat omnium ecclesiarum successiones enumerare, & Romanæ ecclesiæ exemplum illustrissimũ, notissimumq; fuit. Verba potes, dum voles perpendere: nihil, quod faciat ad rem pontificiam, inuenies.

Potuit hæreticos Irenæus, Optatus, Augustinus ecclesiæ Romanæ authoritate vrgere, quã-

doquidem ij fidem corruperant, quam Romana ecclesia seruauerat, & longa temporis successione ad illa tempora propagarat. Quanquam hoc argumentum semper ad triumphum magis quàm victoriam spectabat. Nisi enim scripturis multò illustrius hæreticos refutassent, ecclesiarum exemplis parum certè profecissent. Iam vero cõiunctius ecclesiarum diuturnus vsus cum doctrina scripturarũ magnum affert ad persuadendum momentum, vt & Catholici maneant in ea fide, quam perpetuò valuisse intelligunt, & hæreticos pudeat ab illa desciuisse.

Quòd verò attexis, nullum tempus nominari posse, in quo quisquam Romanus pontifex quicquam decreuerit pro Catholica fide habendum, quod maiores ipsius velut hæreticũ abiecissent, quàm verè dictum sit, vel ex eo vno intelligi potest, ne nunc omnia persequamur, quod Bonifacius 3. decreuerit Romanos põtifices esse episcopos vniuersales appellandos, quod Gregorius Magnus, qui illum paucis annis antecessit, *hæreticum, blasphemũ, Antichristianum* iudicabat. Et quid mihi de Liberio, Honorio, Anastasio respõdebis, Sandere, quos fuisse hæreticos historiæ testantur locupletissimę, fideiq; plenissimę? Quanquam enim isti, quos nominas, historici, nullius hæreseos ecclesiam Romanã accusant, hoc tamẽ non euincit hæreticam non fuisse ecclesiam eo omni tempore Romanam. Nam si isto modo argumentaris, Historici non accusant ecclesiam Romanam hæreseos, quorum alij tum vixerunt, quando

Gregorius Magnus in epist. multis.

quando ea non debuit accusari, alij tum, quando aut non sunt ausi accusare, aut quia erant iisdem erroribus immersi, non putabant accusandam, ergo nihil omnino hæreticum habuit. Negatiuè concludis à testimonijs hominum, qui nec vera semper affirmant, & vera multa tacent.

Sed hic tritas duas Hieronymi, atque Augustini sententias adducis, quibus Petri cathedra laudatur, quasi Petro, aut ipsius Cathedræ iniuria fieret, si Romæ non Antichristus modò, sed ipse Diabolus resideret. Quicquid Romano pontifici contingat, cathedra Petri nullum damnum accipiet. Cum Damaso Hieronymus communicare voluit, quandoquidem fidem Damasus illam tenuit, quæ petra est ecclesiæ: si potes hanc petram Romæ nunc ostendere, quod fecit Hieronymus, id ipsum nos etiam faciemus, vt ad Gregorij tui communionem redeamus. Sed quæ Hieronymus de Damaso scripsit, nunquam potes ad Gregorium accommodare, & illa petra ad Christi ecclesiam, quam sustinet, non ad pontificiam pertinet. Donatistas Augustinus ad fidem ecclesiæ Romanæ reuocabat, eamque vocat petram, quam *ne superbæ inferorum portæ* vincant, vt quanquam Donatistæ nihil vsquam, nisi apud suos, reliquum esse fidei in toto terrarum orbe affirmarent, Christus tamen fidem atque ecclesiam suam nullis vnquam hostium viribus deleri patiatur. Non ergo externa Episcoporum successio illa est vt tu somniasti

nias, inuicta petra sed fides, quę tum quidem [illegible]guit in ecclesia Romana, nunc in ea nusquam comparet, & aliâs iamdudū migrauit. Et quam quā multa ab antiquis patribus de Romana ecclesia magnificè, & quodammodò diuinitus prædicantur, sic tamen illa interpretari, quasi quædam sint futuræ in posterum fidei & pietatis vaticinia, importunæ cuiusdam cæcitatis & insipientiæ videatur.

Quò longiùs progrederis, eò te nobis insulsiorem prębes. Nam quòd ais, *si Protestantes verum dicunt, Antichristus venit secundum operationem Christi, quia venit in eam sedem, quam Christus Romæ fixit, & sic Christus erit secundum Protestantes Satanas*, quis non rideat huius Demonstrationis incredibilem futilitatem, *Petrum Christus ecclesiæ Romanæ episcopum esse voluit, ergo fieri non potest, vt in ista ecclesia sedeat Antichristus.* Qui sic seriò disputāt, quid, quæso, insanis differunt? Quanquā enim Christus Petrū constituit Romanę ecclesię episcopum (siquidem omninò constituit, quod fingamus ad tempus) tamen pontificum recentiorum cathedram, id est, idololatriam, tyrannidem, omnem nequitiam non Christus, sed Satanas, Antichristi parens instruxit. Quid enim de alijs ecclesijs statuamus, quas Christus etiam per Apostolos fundauit? An quia sunt à Christo, & Apostolis institutæ, capere Antichristum nullo modo possunt? Authoritatem verò Romanus pontifex non capit ab illa sede, quam Romæ Christus per Petrum fixit, sed quam

quam Satanas per Phocam primum posuit, deinde per aliorum imperatorum imprudentiam, & pontificum perpetuam ambitionem auxit. Quis, inquis, Petrum aut Paulum *deduxit Romã? quis illos iussit ecclesiam ibi fundare, & episcopatum constituere?* Christus, Sandere, Christus. Sed non Petrum Christus Romam deduxit, vt Romę in arce vaticana regnaret, vt iura gentibus populisque daret, vt imperium orbis occuparet, vt euangelium aut tolleret, aut corrumperet suisq; placitis permisceret, vt nunquã doceret, vt pios omnes supplicijs exquisitis mactaret, vt caetera illa perpetraret, quę tui pontifices multis iam seculis factitarunt? Nihil verò minùs: & qui ista faciunt, quę Romani pontifices solent, non possunt affirmare se iussos esse, vt ita facerent, nisi admodum mentiri volunt. *At manet*, inquis, *adhuc candelabrum*. Non manet, nisi candelabrum eiusmodi intelligas, quod omni luce careat. Atque hîc iterum tuo more concludis, *prima erectio cathedræ Petri opus fuit non Satanæ, sed Christi: ergo eiusdem confirmatio, Christi, non Satanæ, opus sit necesse est*. At doce, inquam, Petri cathedram Romæ remanere. Nunquámne desines tam fœdas principiorum petitiones pro argumentis adhibere? Quod verò quæris, quo modo Satanas Christo illam cathedram eripere potuerit, miror stuporem tuum. Obsecro enim, nullæ sunt vspiam Christo ereptæ cathedræ, vt vbi quondam Christus regnauit, ibi nunc Satanas cum suis domine-

docunque

tur? Quis ergò Christo cathedram Corinthiã,
Antiochenam, Ephesinam, Alexandrinã, ips
que Hierosolymitanam eripuit? quomodo h
Satanas effecit, aut si factum esse constat, qui
tu nunc quæris, quomodo fieri possit, vt aliqu
Christo cathedram Satanas eripiat? Pruden
enim, & Augustinus laudant illi quidem Ro
cathedram, *& primam ac principem* vocant, quod
nos agnoscimus, sed ita stabilem perpetuamq
fore Petri cathedram, vt quia Petrus ibi sedit a-
liquando, nullus Antichristo aditus ad ist ec-
clesiam patere possit, minimè docent. Ne
hoc est, vt tu interpretaris, portas inferorum ad-
uersus petram valuisse. Vtcunque enim extern
hominum cathedræ euersæ sint, tamen petra
& extructam in petra ecclesiam ne in-
feri superabunt.

Iam tuas ratiunculas, quæ sunt huius Demon-
strationis firmamenta, in quędam capita distin-
guis, & minutatim proponis, ex quibus cuiusmo-
di hæc tua fuerit Demonstratio perspici potest.
I. Primùm, ais, *hanc cathedrã Christus fundauit, &
custodiuit, velut petram immobilem*, idq; omnium
Catholicorum primũ iudicio. Patres verò Ca-
tholici non ipsam externam sedem, hominúm-
que successionem petram appellant, quæ vinci
nequeat, sed fidem, quam eo tempore episco-
pos Romanos professos esse constat. Et quan-
quam hanc Christus sedem fundauit, non tamen
hanc ei conditionem adiunxit, & prærogatiuam
impartiit, vt quicquam decerneret, aut quomo-
docunque

docunque de religione sentiret, nunquam tamẽ erraret. Deinde, *non patitur*, inquis, *honor & gloria Christi, vt prima cathedra Christi in manus Antichristi tradatur*. Quis te verò docuit, Sandere, Christi gloriam ex tuo ingenio & cerebro metiri? Deus non est προσωπολήπτης: & qui primi sunt, eos interdum vltimos facit. Nullius ecclesiæ aut magnitudinem, aut dignitatem, aut opes spectat, & à vobis frustra *templum Domini, templum Domini* toties decantatur. Præterea adiungis, *nullam fuisse doctrinæ mutationem in ecclesia Romana, quam quidem vlla historia prodiderit*: Historias, Sandere, vestras non moramur. Ex re ipsa, quando vestram doctrinam cum Euangelica atque Apostolica comparamus, discrimen immensum, certámque mutationem agnoscimus. Postremo loco nouam rationem adducis, in qua tamen non magnum videris præsidium posuisse, quanquam & bella imprimis est, & par cæteris tuis. Sic autem scribis, *Nullum opus Satanæ tot seculis consistere permittitur, quot ecclesia Romana, vel Protestantium iudicio, primatum supra omnes ecclesias obtinuit*. Non potes, Sandere, temporum momenta definire, quæ sunt in Dei vnius voluntate posita. Opus Satanæ ad mundi finem durabit, nisi fortè aut peccatum Adæ negas à Satana profectum esse, aut iamdudũ multis abhinc seculis penitus sublatum fuisse somnias, quia nullum, vt tu statuis, Satanę opus diuturnum esse potest. Atque huc illam Gamalielis celebrem sententiam ad-

hibes, quę cuiusmodi fuerit, ipse videris. Pontificius quidē primatus non ita multis seculis cōstitit, vt ex temporis diuturnitate rem diuinam esse necessariò iudicemus. Nam quòd annos mille quingentos & amplius numeras, debes meminisse ex hoc numero sexcentos primum annos decerpendos esse, tum nōdum mille reliquos esse annos, quos Antichristo adiudicemus. Sed hoc, inquis, nimis longum est. Ergo tecum crassa (vt dici solet) Minerua agamus. Mahumetana superstitio, & regnum, éstne opus Satanæ, nécne, Sandere? Fateberis, opinor. Quoto autem anno cœpit primum inualescere? Sexcentesimo decimo, plus minus: Circa quæ tempora præfuit ecclesiæ Romanæ Bonifacius 3. Quis ille fuit? Si respondebis verè, Antichristus inquies. Primus enim is dictus est Episcopus vniuersalis, quod Antichristi proprium nomen est. Ita Romani pontificis primatum sectę Mahumetanæ σύγχρονον esse constat, qui tamen & ab eo tempore durauit semper hactenus, & nunc non minus latè patet, quàm religio pontificia, & in posterum etiam videtur diuturnitatē non minorem habitura. Quando autem nullam Monarchiam tanto temporis spacio permansisse immobilem affirmas, si rectè annos numeras, fuit Assyriorum aliquot seculis diuturnior. Vtcunque statuis, si tibi vis constare, ab imperio Romano vinci pontificium dominatum necesse est fatearis. Nam & nunc saluum esse defendis, & longè antiquius fuisse omnes intelligunt. Sed quid

quid tua, Sandere, deliria persequor? Hucusq; nihil ergo attulisti, quo minus Romanus pontifex ipse esse possit, de quo disputamus, Antichristus. Quid nunc proximo loco sequatur attendamus.

Quarta Demonstratio, quod Pontifex Romanus non est Antichristus, quia ille non aduenict nisi deleto penitus Romano imperio quod adhuc stat.



N. SANDERVS. 1. Thes. 4. Quæst. I I. ad Algatiam.

CVM *Apostolus dixisset*, Nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis, (*qui mortui sunt*) in nubibus obuiam Christo in aëra: *Thessalonicenses arbitrati sunt dum adhuc essent in corpore, Christum in sua maiestate venturum.* Cui errori (*ait Hieronymus*) medetur Apostolus, & exponit, quæ ante aduentum Christi debet præstolari, nisi inquit, venerit discessio primū, quod Græcè dicitur *ἀποστασία* vt omnes gentes, quæ Romano imperio subiacent, recedant ab eis: nisi fuerit Romanum imperium antè desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: tantum vt Romanum imperium, quod nunc vniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat, & tunc Antichristus veniet. *Hæc Hieronymus ex mente Apostoli, quo seculis aliquot antiquior Tertullianus.* Est & alia (inquit) maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiā pro omni statu imperij, rebusq; Romanis, quod vim maximam, vniuerso orbi imminentem, ipsamq; clausuram seculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus. *Quibus verbis quid aliud significat Tertullianus, quàm stante Romano imperio, nec Antichristum affuturum, nec mundi consummationem adhuc expectandam? Am-*

Antichristus non venit, nisi post imperium Romanum.

I. Desolatum

In apolog. aduersus Gentes.

II. Abolitum.

brosius etiam in eadem Apostoli ad Thessalonicenses verba scri-bens, dicit, Post defectum & abolitionem regni Romani apparituru m Antichristum. *Porrò Chrisostomus ibidem ait,*

III. E medio sublatum. Quando è medio sublatum fuerit Romanum imperium, tunc veniet Antichristus. *Vt iterum*, Quando istud fue-

IIII. Destructum. rit destructum imperium, vacantem imperij principatum (*Antichristus*) inuadet, & tentabit ad se rapere & hominū

V. Vacans. & Dei imperium. Quemadmodum enim regna illa de-structa sunt, quæ ante Romanum imperium fuerunt, vt-pote regnum Medorum à Babilonijs, Babiloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Roma-nis, ita & regnum Romanorum ab Antichristo, & ille à Christo, & postea non ampliùs obtinebit. *Denique Au-gustinus de ciuitate Dei, lib. 20. cap. 19.* Tantùm qui modò imperat, imperet: donec de medio fiat (id est) de medio tollatur, & tunc reuelabitur iniquus, quem significari An-tichristum, nullus ambigit. *Omitto cæteros patres: nam si hæc testimonia satis sunt, vel nescio quid erit satis.*

Hæc summa rei est, antequam Christus secundò aduene-rit, veniet primùm discessio à Romano imperio: *deinde i-psum Romanum imperium* de medio tolletur: *tum reuelabitur Antichristus, ac ita demum Christus aderit. Non igitur satis est defectionem aliquam fieri à Romano imperio, vt Antichri-stus adueniat (quod solum tamen Protestantes vrgent, perinde ac si nihil amplius dictum esset) nisi & ipsum Romanum impe-rium (vt Apostolus loquitur)* de medio fiat, *vt Hieronymus ait*, fuerit ante desolatum: *vt Chrisostomus habet*, è me-dio sublatum fuerit: *vt Augustinus rem describit*, è medio tollatur. *At hodie Romanum imperium non est adhuc è me-dio sublatum: non igitur adhuc reuelatus est Antichristus, nec-dum pontifex Romanus poterit Antichristus esse. Si dicas Ro-manum imperium è medio iam sublatum esse, quia nullus im-*

Respondetur obiectioni Protestantium. *perator iam obtinet Romanam vrbem, licet hac ratione dicas Honorium non fuisse imperatorem Romanum, quia nec ille tunc vrbem Romanam obtinuit, quando eam expugnauit, Alari-cus, seu Athanaricus Gothorum Dux. Imò hac ratione non video quo modo Theodosius, dum solius Orientis imperator es-set, Romanus imperator dici potuit, cum Romana vrbs, vinc-*

te adhuc Valentiniano Augusto non imperares. Cæterum quis vnquam dubitauit quin tam Orientis, quàm Occidentis imperatores ex æquo Romani imperatores & fuerint, & habiti semper sint? adeo vt Græci per imperatorem Romanum, verius Orientis, quàm Occidentis imperatorem intellexerint, quod in eorum historijs passim obserues. Vt ergo sit aliquis Romanorum imperator, satis est, vt imperium suum aliqua legitima ratione, vel ad aliquem Romanum imperatorem, qui socium in imperio sibi assumpserit, vel ad populum Romanum, aut etiam legiones Romanas referant: Nec semper necesse est ipsam Romanam vrbem intra imperij ambitum contineri. Quasi verò si Dux Venetiarum ex ipsis Venetijs ita ejceretur, vt Cretam, Cyprum, Hystriam, Veronam, Bergomum retineret: propterea Ducatum ipsum vnà cum ciuitate amisisse dici posset. Quanquam enim regnum aliquod à ciuitate quapiam eximia denominetur, non tamen si expugnetur illa ciuitas, continuò regnum totum amittitur. Testatur sanè omnium scriptorum vsus, & Gentium vbique omnium consuetudo Romanum imperium adhuc stare: quia quotquot res gestas imperatorum Germaniæ conscribunt, aut eorum mentionem faciunt, siuè Græci, siue Latini, seu Barbari sint, pro Romanis imperatoribus, atque etiam pro Cæsaribus Augustis illos habent: vtpote quos tam pontifex, quàm populus Romanus imperatores ab initio salutauit, & postea semper ea potestate præditos agnouit. Quapropter cum secundum Apostoli verba Antichristus non veniat, nisi Romanum imperium ante fuerit desolatum, & è medio sublatum, cum iam Maximillianus secundus more maiorum electus in solio Cæsarum sedeat, fieri non potest, vt pontifex Romanus qui hactenus fuit, aut adhuc est, verè sit ille Antichristus, quem omnes Christiani secundum scripturas, non nisi deleto priùs imperio Romano, reuelandum expectant.

Vide Platinam in vita Leonis PP. 3.

Guilielmus Whitakerus.

A Causis Antichristi, in quibus explicandis hactenus elaborasti, ad alia nunc progre- IIII.

deris argumenta, quæ sunt posita in circumstan-
tijs, à quibus etiam necessariæ Demonstrationes
duci possunt. Si qua enim nota sit, vel omnino
quidem leuissima, Antichristi, quæ Romano pō-
tifici nullo modo conueniat, non esse Roma-
num pontificem Antichristum satis illa demon-
strauit. Si est enim Antichristus, nihil ab illo a-
lienum esse debet, quod futurum in Antichristo
Spiritus sanctus prædixit. Multis autem modis,
& vario circunstantiarum genere nobis Anti-
christum scriptura descripsit, & facilè tibi con-
cedam Sandere, nisi quæcunque vsquam de An-
tichristo dicuntur, ea omnia Romano pontifici
mirificè aptissiméque congruant, magnam illi
atque intolerandam à nobis fieri iniuriam, quā-
do Antichristum infami atque horrendo nomi-
ne appellemus. Sin autem, quicquid est sacris
literis proditum de Antichristo, nec recidat in
vllum conuenientius, nec de quoquā intelligi,
præterquam de Romano pontifice possit, mirum
non est, si veterem, verámq; sententiā retinemus,
& pontificē Romanum, quē vniuersis Antichristi
insignibus ornatū, ac notatū perspicimus, ipsius
Antichristi nomine salutamus. Quare perga-
mus reliquas deinceps Demonstrationes tuas
excutere, quarum ista, quam nunc ingressi su-
mus, & quæ proximè sequuntur duæ, ductę sunt
à tempore. Quanquam autem temporis vna
Demonstratio esse potuit, tamen vt numerum
Demonstrationum auctiorem faceres, huius
temporis proprietates quasdam partiri, & singu-
latim

latim proponere maluisti. Mihi necessarium est in tuis vestigijs insistere, atque ad singula distinctè respondere. Sic autem hoc loco disputas, Romanum pontificem non esse Antichristum, quia Antichristus non antè venturus est, quàm imperium Romanum penitus euersum fuerit, quod nondum euenisse intelligimus. Sic verò Demonstratio conclusa est: *Si imperium Romanum nondum deletum est, constat nondum venisse Antichristum: At stat adhuc Romanum imperium: quare nondum Antichristus venit, & per consequẽs pontifex Romanus non est Antichristus.* Romani enim pontifices à Petro semper extiterunt, & multa iam secula sunt, quibus in ecclesia Romana regnasse Antichristum defendimus. Ita cum temporibus Antichristi nostram sententiã pugnare liquet. Sumptum autem hoc totum est de tempore argumentum ex verbis Apostoli, qui scribit ad Thessalonicenses, non antè venturum esse Christum, quàm venerit Antichristus. Sibi enim falsò persuaserãt Thessalonicenses, breui, & quidem ipsis adhuc viuis, Christum in gloria rediturum, vt finem rebus omnibus imponeret, totumque mundum iudicaret. Hanc horum opinionem Paulus corrigit, nec antè expectandũ esse Christum docet, quàm Antichristus fuerit patefactus, quod non statim, sed suo pòst tempore futurum prænunciat. *Nunc enim*, inquit, *quid obstet nostris, vt is suo tempore retegatur.* Illud τὸ κατέχον quid sit, quod ijs & notum esse, & de medio olim tollendum esse Apostolus mo-

2. Thes. 2. 6. 7.

net, quæsitum ab antiquis theologis & disputatum est. Nec verò nobis veterum Patrum sententia displicere solet, qui illud de Romano imperio interpretantur: & quæ hîc ex Hieronymi, Tertulliani, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi commentarijs adferuntur, nobis magnopere probantur. Vellem equidem nihil vnquam patres de Antichristo scripsissent incommodius. Si plures in hanc sententiam desideras, potes Irenæum, & Lactantium adhibere, quorum cum istis iudicium consentit.

Id ergo voluit Thessalonicensibus Apostolus Paulus persuasum esse, primùm non esse venturum Christum, antequam ἀποστασία quædam, & quasi communis interitus fidei totam ecclesiam peruaderet, atque Antichristus templum Dei, id est (vt nos verissimè interpretamur) ecclesiā occuparet: Talis enim est ἀποστασία, quam Paulus significat, quod te Cyrillus tuus Hierosolymitanus docebit: Νῦν δέ ἐστιν ἀποστασία: ἀπέστησαν γὰρ οἱ ἄνθρωποι τῆς ὀρθῆς πίστεως. *Nunc*, inquit, *est apostasia: nam homines à iusta fide defecerunt.* Et mox: αὕτη τοίνυν ἐστὶν ἡ ἀποστασία, *Hæc ergo est apostasia illa*. Deinde Antichristū tum venturū esse, quando imperium Romanum, quod tum quidē florebat, è medio tolleretur. Ergo & imperij Romani euersionem Antichristus, & Antichristum Christus tempore ipso consequetur. Iam de hoc imperio videndum est, quod tolli Apostolus oportere (vt rectè patres iudicant) scribit, antequam *ille impius retegatur*. Si sublatum nondum

Cyrillus Hierosol. κατηχησ. ιε.

dum est, falsum sit necesse est, quod nos dicimus Romę tam multis annis sedisse Antichristũ: At hodie, inquit Sanderus, Romanum imperiũ non est adhuc è medio sublatum: Quid ergo pontifici Romano molesti simus, aut quid huic tam nobili Demonstrationi respondeamus? Enimuerò nihil hîc esse sentio, quod quenquam, non omnino hebetem, commoueat. Manet adhuc imperij Romani nomen, & qui in imperio collocantur, Cæsares, atque Augusti salutantur, &, præter rem, nihil ad iustum imperium deest. Sunt hæc adhuc reliqua quasi quædam præclari ædificij rudera, vt vix quidem rudera, sed tamen nonnulla imperij simulachra, quæ ad finem mũdi permanebunt. Non enim potes euincere, Sandere, sic penitus quartum hoc imperium delendum esse, vt ne nomen imperij titulúsq; maneat. Nam præter vacuum nomen, quid, quæso, Romani imperij iamdudum restat? Fuit Roma illius imperij arx, & caput. Num Romam Imperator tenet? Erant huius imperij prouinciæ in Asia, in Europa plurimæ, & amplissimæ. An illæ nunc imperatori parent? aut tributi vel tantillum pendunt? Aut illum regem, dominũque agnoscunt? Quale ergo hoc imperium est, quod nec vrbem retinet, sedem veteris imperij, nec populum habet, cui imperet, nec vectigalia ex prouincijs percipit? Taléne verò fuit imperium Romanum, aut quod huiusmodi est, esse imperium Romanum te existimemus? Atque hanc huius tam ampli quondam imperij vasta-

tionem cui potiùs, quàm Romano pontifici, tribuamus? Cum enim Constantinus primùm relicta Roma Bizantium migraret, eaque in vrbe cęteri imperatores domicilium suũ collocarent, neglecta paulatim Roma, in Pontificis tandem Romani potestatẽ cum magna Italiæ parte venit? Constantinopolitano Cęsari nihil hîc remãsit. Deinde Constãtinopolitano imperatori, offensus Leo Papa tertius nouum in Occidente imperatorem constituit: Eoque modo vetus imperium, quod vnum hucusque semper extiterat, in duas partes & debiles, & angustas discerpsit, vt alteram iamdudum Turca absorpserit, altera nihil imperatorium, præterquam diadema, & quædam nominũ ornamenta multis iam seculis possederit: & iam quisquis ad imperiũ accesserit, nisi suũ aliquod atq; hęreditarium patrimonium attulerit, hîc certè quo ornatior sit, quo locupletior esse possit, nihil inuenerit.

Sed quid de Romani imperij statu disputemus? Eum ego cupiam esse florentissimum, & pontifici malè sit, qui orbis Christiani imperiũ tantopere afflixit. Quid enim ad Antichristum ista pertinent? Quasi Antichristo tam malè cum Romano Cæsare conueniat, vt simul esse ambo nequeant. Imò, inquies, τὸ κατέχον, hoc est, imperium Romanum dẽ medio tollendum Apostolus præmonuit. Id verò, Sandere, est, quod nobis Apostolus significat, quandoquidem erat necessarium, vt Romę regnaret Antichristus, quemadmodum ex Apocalypsi clarissimè cognoscimus,

noscimus, imperatorem Romanum ἐκ μέσου γενέσθαι oportere, id est, aliò migrare, vacuamque pontifici Romam relinquere. Si enim Romam Cæsar tenuisset, pontifex regnare Romæ minimè potuisset. Quare vt hic pontificius Antichristus Romæ in suo, proprióque loco resideret, & sedem imperij aliò traduci, & Romam cum Italiæ principatu pontifici adiudicari Dominus voluit. Quanquam autem verè possumus affirmare Antichristum tum Romæ natum esse, quando pontifices Romani dici episcopi œcumenici cœperunt, tamen politicum dominatum, plenámque authoritatem aliquot pòst annis adepti sunt, vt tum eis demum nihil ad integrum Antichristum defuerit. Quare non est necesse, vt aliquid de Romano imperio penitus euerso, atque extincto somniemus, cuius tamen nihil iamdudum reliquum esse, præter nominis prærogatiuam, intelligimus. Ad Antichristi rationes, Paulique sententiam sufficit, quòd vrbis Romanæ ius Imperatori ereptum, pontifici delatum fuerit. Hoc iam olim contigisse dubiū non est: ergo τὸ κατέχον, quod Paulus indicauit, de medio sublatum est, & copia facta est Antichristo, sui Romæ solij constituendi, seq́3, vt decuit, in ecclesia efferendi. Ita hanc de tempore tuam, deq́ue interitu Romani imperij Demonstrationem euersam, ac deletam esse vides.

Quinta Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quia Euangelium nondum est in toto mundo prædicatum.

N. SANDERVS. Mat. 24.

CHRISTVS *ait*: prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes. *Quanquam nonnulli patres hæc verba de Hierosolymorum euersione per Titum & Vespasianum intellexerunt, tamen D. Hieronymus testatur*, ea meliùs intelligi de consummatione mundi: *quod idem D. Hilarius sensit, vbi etiam dicit, Antichristum vocari* abominationem desolationis. *Prius ergo* prædicabitur euangelium regni in vniuerso mundo, *ad redargutionem omnium Gentium, quàm abominatio desolationis in loco sancto stet, hoc est, quàm veniat Antichristus. Itaque Theodoretus*, Cum (*inquit*) didicisset diuinus Apostolus dixisse Dominum, oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus & tunc finem futurum: videret autem adhuc vigere cultum Idolorum, dixit sequens doctrinam Domini, fore vt prius euertatur superstitio, & impius Dæmonũ cultus, & vbique fulgeat diuina prædicatio, & tunc appareat, veritatis aduersarius. *Hoc idem etiam Augustinus tradit*, Dominus dicit in Euangelio, cum per omnes gentes prædicatum esset Euangelium, tunc finem esse venturum. *Porro in lib. de Ciuit. Dei 20. cap. 8. & 19. docet, Satanam non nisi in fine mundi soluendum, & hoc futurum esse in aduentu Antichristi. Non igitur priùs venturum credidit Antichristum, quàm Euangelium per omnes gentes prædicatum esset. Itẽ Damascenus*, Oportet inquit primùm prædicari Euangelium omnibus gentibus, quemadmodum inquit Dominus (*Mat. 24.*) & tunc veniet Antichristus in redargutionem aduersariorũ Dei Iudæorum, *hæc illi. Cum ergo ante annos septingentos nondum fuerit Euangelium omnibus gentibus prædicatum,*

In cap. 24. Mat. Canone 25.

In Mat. 2. Thes. 2.

De Agone Christ. cap. 29.

Lib. 4 de Orth. fid.

(nam

(nam post illud tempus Poloni, Hungari, & Prutheni ad fidem sunt conuersi) immo cum Euangelium ne hodie quidē adhuc sit vbique disseminatum, sed iam nunc nouæ Indiæ reuelentur, quarum latissimis prouincijs, & regnis aut nunc primum, aut nondum etiam Christi Euangelium annunciatum sit: profectò nec adhuc quidem venit Antichristus; quo minus credi potest, pontificem Romanum esse ipsum Antichristum.

Guilielmus Whitakerus.

V.

ALias nunc temporis circunstantias persequens, & Demonstrationem hoc loco proximæ superiori similem introducis. Quemadmodum enim ex eo, quod nonnullæ imperij Romani reliquiæ, quanquam & admodum exiguæ, & vix tanti imperij nomine dignæ, tamen qualescunque adhuc remanent, non esse pontificem Romanum Antichristum suprà disputabas, ita nunc quia Euangelium non est toto terrarum orbe propagatum, idipsum pro pontifice tuo concludere te posse existimas. Sic enim statuis, quod ego etiā aliquo modo verum esse fateor, antequam Antichristus veniat, necessarium esse, vt Christi Euangelium in toto orbe diuulgetur. Etsi enim nullus est scripturæ perspicuus locus, quo futurum illud intelligatur, nec id disertè legimus, quod tu in Demonstratione ponis, tamen quandoquidem & Apostolum video ἀποστασίας cuiusdam meminisse, quam de Antichristi regno intelligendam esse sentio, & peritissimi scripturarum interpretes illud τὸ κατέχον, de quo iam nonnulla diximus, non modò

ad Romanum imperium, sed ad Christi etiam Euangelium referunt, vt illud tollendum, hoc toto mundo annunciandum existiment, antequam prodierit Antichristus: Hanc ego sententiam valere facilè patiar, quam hic proponis, & in qua Demonstrationis tuæ fundamentum constituis. Sic autem Demonstratio conclusa est: *Si Euangelium non est toto mundo prædicatum, Antichristus nondum venit: At verum prius, verum*
.V *igitur & posterius.* Ex quo non esse pontificem Romanum, quemadmodum nos dicimus, Antichristum, necessariò sequitur. Quam hic scripturam scitè explicaris, non magnopere excutiā, Sandere, & quæ Patres de Euangelij prædicatione scribunt, libenter amplector. Christi verba multò rectiùs de mundi fine, quàm Hierosolymorū excidio intelligenda esse præclarè Hieronymus scripsit. Voluit enim Christus significare Euangelium suum ad omnes gentes perferēdum esse, antequam mundi machina dissoluatur, & ipse ad iudiciū reuertatur, de quo discipuli quærebant. Illa autem, quæ mox sequuntur, ad aliud tempus pertinent, quod attento lectori obscurum esse non potest. Et est in hac Christi concione iudicium illud adhibendum, vt quæ Christus de vrbis Hierosolymitanæ clade prædixit, ab ijs distinguamus, quæ sunt ad mundi finem referenda. Quando autem Christus ait, *Tunc qui in Iudæa fuerint, fugiant in montes*, hoc non de toto mundo intelligi posse per se manifestum est. Quanquam ergo & Hylarius, & alij

non-

nõnulli patres illã *Abominationẽ desolationis*, cuius Daniel, Christúsq; meminit, de Antichristo exponunt, cum tamen ex ipsa verborum serie perspicuum sit, Iudææ gentis interitum declarari, de illa potiùs abominatione loquutus esse Christus videatur, quam in templum Hierosolymitanũ profanæ gentes intulerunt, & tamen ista etiam Patres, quæ Christus dixit de Abominatione desolationis, ad Antichristum per *ἀναγωγὴν* accommodare potuerunt.

Iam verò quòd Euangelium toto mũdo prædicatum esse negas, id quidem minimè probas: Quanquam in eo vis omnis Demonstrationis tuæ consistit. Quid ergo affers, ex quo verum esse, quod tibi assumis, intelligamus? Hîc nobis Polonos, Hungaros, Pruthenos, nouasque Indias commemoras, ad quas vel recens, vel nondum Euangelium Christi peruenit. Somnia, Sandere, nobis tua narras. Nam primùm, quod attinet ad Christi verba illa, quę legimus apud Matthæũ: *Prædicabitur istud Euangelium regni in vniuersa terra in testimonium omnibus gentibus.* Quomodo potes ex his euincere, quod Demonstrare conaris, Christus enim subiungit, non vt tu fingis, *& tunc veniet Antichristus*, sed *& tunc veniet finis*. At venire ante finem necesse est Antichristum, aut omnino nunquam veniet. Cum ergo nullã hîc de Antichristo Christus mẽtionem faciat, & hanc Euangelij prædicationem non Antichristo, sed fini rerum omnium præcursuram esse dicat, quid tu nunc adeptus hîc es, San-

dere, quod tui pontificis rationibus conue[...]
Deinde quod Christus ait, *Euangelium in vniuerso terra prædicabitur*, quæ ratio persuadet, vt hoc de singulis terræ plagis, populisq; sic intelligamus, quasi nullus sit tam angustus locus, vbi non [...] prædicari Christi Euangelium, & suscipi oporteret? Vox Euangelij ad omnes gentes iamdudum permanauit, quæ si fuerit ab illis repudiata, tamen ijs Euangelium regni prædicatum est, atque illi pœnas non suscepti Euangelij, spretique Christi iustissimas luent. Atque hoc est, quod Christus significat, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, hoc est, vt suam gentes perfidiam nullo modo possint excusare. Quid quod Euangelium Apostolus non tantùm ad Collossenses, sed in

Coloss. 1. 6. 23. totum etiam mundum peruenisse, *omniq; creaturæ prædicatum fuisse scribit*? Et multa Patres de Christi Euangelio ab omnibus populis suscepto passim prædicant. Cyrillus Hierosolymitanus, quem toties nominas, καὶ σχεδὸν, inquit, ὡς ὁρῶμεν, ὁ κόσμος ἅπας τῆς περὶ Χριστοῦ διδασκαλίας πεπλήρωται: id est, *Et ferè, vt videmus, totus mundus doctrina de Christo repletus est*. Quando Poloni cæterique tui, quos nominas, Euangelium publico consensu amplexi primùm fuerint, mea nihil interest. Aliud enim est prædicari Euangelium gentibus, aliud à gentibus recipi. Cum multis antè seculis Euangelium illorum hominum auribus circumsonuisset, serò tamen inducti sunt, vt idololatriam pristinam deponerent, & Euangelij professionem communi sententia approbarent.

approbarent. Apud Indos veteres Osorius in historia scribit inuenta esse nonnulla Christianæ religionis monumenta. De nouis Indijs, è quibus tam multa indies mira afferuntur, minimè laboro. In tota terra, id est, in terræ disiunctissimis notissimisque partibus, iam olim Euangelium percrebuit: Ergo tu nihil adhuc demõstrasti, quod quicquam ad rem pontificis faciat, quò minùs hunc ipsum esse Antichristum perpetuò sentiamus.

Osorius lib. 3. historia.

Sexta Demonstratio, quod Papa non sit Antichristus, quoniam Antichristus non venit ante ipsam consummationem seculi.

N. SANDERVS.



PVD Matthæum Christus sermonem de Antichristo, & mundi consummatione coniunxit, dicens: Tunc veniet consummatio, cum ergo videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit intelligat: *quasi dixisset, quia in mundi consummatione apparebit abominatio desolationis, tunc prudenter animum aduertat, qui hæc legit. Vnde Hilarius appellat abominationem desolationis*, indicium secundi aduentùs Christi. *Sed omnium clarissimè D. Ioannes hoc ipsum docet:* Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis, quia ille Antichristus venit, & nũc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est. *Ratiocinatur Apostolus in hunc modum, Antichristus in nouissima hora venit, sed nunc multi sunt Antichristi, nunc igitur nouissima hora est.* Ipsa nouissima hora (*inquit Augustinus*) diuturna est: tamen nouissima hora est: horam enim pro tempore posuit nouissimo, quia in nouissimis temporibus veniet Dominus noster Iesus Christus. Sed dicturi sunt aliqui, quomodo nouissimum tempus? quomodo nouissima hora? Cert.

Mat. 24.

In Mat. can. 25.

Tract. 3. in 1. Ioan.

prius veniet Antichristus, & tunc veniet dies iudicij. Vidit Ioannes cogitationes istas, ne quasi securi fierent, & ideo non esse horam nouissimam putarent, quòd venturus esset Antichristus. *Dixerat Ioannes nouissimam horam esse. Cui verbo illud obstare videbatur, quòd ante nouissimæ horæ finem venturus esset Antichristus, qui nondum venisse credebatur. Huic argumẽto respondit. B. Ioannes, dicens: inde ex eo scimus, nouissimam horam esse, quia iam nunc venit Antichristus, non quidem ipse in seipso,* sed nunc multi facti sunt Antichristi, *praecursores vtique & administri magni illius Antichristi, qui omnium Antichristorum vltimus aderit, & ideo apud Augustinum appellatur:* illc nouissimus Antichristus.

De Ciuit. Dei lib. 20. cap. 19.

*Nam multos illos Antichristos, de quibus Ioannes agit, ad my*sterium iniquitatis, *quod Paulus commemorauit, pertinere August. ibidem asserit. Hæc igitur summa rei est,* Antichristus venit in horá nouissima. *Hæc autem hora multas minutas partes habet, in quarum penultima venit vltimus & omnium maximus Antichristus. In priore autem eiusdem horæ parte veniunt alij minores Antichristi: ex quorum præsentia intelligitur, horam illam nouissimam inchoatam esse, quæ perficietur in ipsa Domini Iesu gloriosa reuelatione. Itaque Tertullian.* in sepulchris ait paulisper requiescere habebunt, qui in finibus seculi sub vltima ira per Antichristi vim exceßerint, & post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio. *Et Theodoretus*, statuit, *inquit*, vniuersorum Deus, vt appareat Antichristus in ipso tempore consummationis. *Gregorius etiam Magnus*, Diabolus (*inquit*) in vltimis temporibus illud vas perditionis ingressus, quod Antichristus vocabitur, nomen suum longè latéque diffundere conatur. *Papa verò etsi enim spiritualem statum, quem iam tenet, per mille quingentos annos verè tenuerit, tamen ex Protestantium confessione eundem tenuit per septingentos annos, & amplius: Papa igitur non est Antichristus ille, qui solùm in ipsa mundi consummatione reuelabitur. Nec enim mundus ante aliquos secula consummatus fuisse videri potest.*

2. Thess. 2.

Lib. de resurrectione carnis.

In 2. Thess. 2.

In cap. 18. Iob. lib. 14. cap. 11.

Guilielmus

Guilielmus Whitakerus.

DE tempore, quo sit venturus Antichristus, duas nunc Demonstrationes, Sandere, tuas discussimus: reliqua est adhuc tertia, quę nihil penè habet proprium, & separatũ & nouæ Demonstrationi aptum. Si enim nec ante funditus deletum imperium Romanum, nec ante Euangelium toto orbe disseminatum veniet Antichristus, quod hactenus persuadere voluisti, & hæc in ipso mundi fine futura sunt necessariò, quemadmodum statuis, quorsum nunc euincere conaris, quod sua sponte consequitur, si vera sint, quæ demonstrabas, non ante finem mundi venturum esse Antichristum? Erat hæc superuacanea Demonstratio, nisi aut superioribus diffideres, aut numero magis Demonstrationum, quàm momẽto certare malles. Sed tamen demus hanc tibi veniam, vt hanc tuã de Antichristo congestam materiam tuo more tractes, atque in partes, quàm multas ipse voles, comminuas, quandoquidem varietatis, copiæque laudem tantopere venaris. Sic autem ista Demonstratio contexitur, *Antichristus non veniet ante ipsam consummationem seculi: Papa iamdudum venit, ergo Papa non est Antichristus*. Concinnè quidem, & cõmodè, & συλλογικῶς vel maximè. De assumptione nihil dubium est. Venisse enim iam multis seculis Papam boni omnes cum suo damno, luctúque maximo senserunt. Quod autem primo loco proponis, non ante ip- VI.

ſam conſummationem ſeculi venturum Antichriſtum, id nec tu docere, nec ego intelligere poſſum. Quam enim ſeculi conſummationem ſignificas? Eámne, qua ſeculũ conſummatur, id eſt, in nouum ſtatum commutatur, quod in vltimo judicio futurum expectamus? At id fieri nullo modo poſſe omnes intelligunt. Quando enim Chriſtus venerit, nullus erit Antichriſto locus, nec tempus veniendi, & illum Chriſtus aduentu ſuo glorioſo tollet, & perpetuo ſupplicio adiudicabit. Quare ante hanc ſeculi conſummationem veniat eſt neceſſe. Sic tamen, Sādere, loqueris, quaſi illum in ipſa conſummatione venire oporteret. Quam ergo tandem conſummationem intelligis? Si enim tempus illud hoc verbo deſignas, quod Chriſti ſecundum aduentũ præcedit, quam tandem huius temporis partem tribues Antichriſto, & quantum erit inter Antichriſti aduentum, & ſeculi finem interuallum? Incertum enim eſt quemadmodum hanc ſeculi conſummationem, in qua venturum Antichriſtum ſtatuis, metiamur, quandoquidem non ipſum finem hoc nomine, ſed fini proximum tempus intelligis. Id autem hoc loco proponis obſcuriùs, quod in vltima demonſtratione clariſſimè explicas. Hac enim ſeculi conſummatione tres illos annos & ſex menſes complecteris, quibus Antichriſtum regnaturum ſomnias: Atque hoc horum annorum, menſiumque ſpatium in fine ſeculi futurum, tempus illud eſt, quod & ſeculi conſummationem vocas, vtpote

pore consummationi proximum, & quo Antichristum circumscribis. Quod si verum est, aduentus Christi diem, atque horam explorare sine errore possumus, quod tamen Christus fieri non posse affirmauit. Etenim si tribus annis, & sex mensibus regnabit Antichristus, Antichristum autem Christus aduenientes delebit, quemadmodum Apostolus scribit, tum necessarium erit, vt postquam venisse Antichristum constiterit, mox venturum Christum, & quidem post annos tres, & sex menses intelligamus. Atque ita facile erit cuiuis, quod tamen Christus, & sibi, vt homini, & toti hominum generi, ipsisque Angelis ignotum esse testatur, vt tempus ipsum, quo Christus adueniet, cognitum atque exploratum habeat. Eritne enim, Sandere, aliquid intermedium inter Antichristi interitũ, & Christi aduentum? Non ignoro fingi à vobis dies quadraginta quinque, quos inter hæc duo tempora intercedere oportere existimatis: quod vt ita sit, tamen certi temporis ratio constabit: quãquam ex scripturis discimus, futurum in terris Antichristum, quando Christus aduenerit. Vides quò tandem nos hęc tua de tempore Demõstratio deducat, vt ad earum rerum cognitionem aspiremus, quas pater in sua vnius potestate posuit, & nos omnino celatas esse voluit. Si enim vera hæc omnia sunt, quæ vos de Antichristo traditis, obscurum esse non potest homini attento, quoto die Christus ad iudicium venturus sit.

2. Thes. 2. 8.

Mat. 24. 36

Iam verò si more scripturarum loqueris, non negabo venturum in consummatione seculi Antichristum. Sed hanc consummationem ab ipsa Christi in cœlum ascēsione ad eius reditum patêre affirmo. Hoc enim tempus, quod inter Christi assensum, secundumque aduentum intercurret, scriptura vltimum, breue, fini propinquum vocat. Petrus ait, *omnium finis imminet:* Apostolus ad Hebræos *vltimis diebus locutum esse Deū per filium* scribit. Ioannes in Apocalypsi, *Tēpus*, inquit, *prope est*: & in epistola prima, *vltima hora adest*. Si verò hora vltima sit, quicquid est temporis inter Christi ascensionem, mundique finem, quemadmodum docemur, non est necesse, ut consummationem seculi, tam angustis trium annorum, & sex mensium cancellis, quemadmodum tu facis concludamus. Sed nūc ad scripturarum, patrumque testimonia tua veniamus. Christi verba non sunt, vt suprà diximus, de eodem tempore intelligenda. Rogatus enim de duobus temporibus, quæ tamen fore coniuncta discipuli putabant, de vtrisque sic respondet, vt responsionis pars alia ad mundi finē, alia ad Iudaicam calamitatem referatur. Huius dicti prius membrum ad alterum, posterius ad alterum pertinet. Quicquid Hilarius de abominatione desolationis statuat, multò tamen rectiùs, vt docui, aliter accipitur, nec Hilario dissentire scelus est, quocum alij patres non consentiunt. Quæ Ioannes de hora vltima, deque Antichristo, & Antichristis scripsit, sic manifesta

1. Pet. 4. 7.
Heb. 1. 1.
Apoc. 1. 3.
1. Ioan. 2. 18.

sta sunt, vt tuis præclaris commẽtationibus non indigeant. Veniet vltima hora Antichristus: id omnes Christiani credebant. Ne id longum esse sibi persuaderent, iam multos venisse Antichristos Ioannes testatur, ex quo instare Christi aduentum intelligerẽt, vt ille magnus Antichristus non nisi tam serò veniret, tribus annis & dimidio ante vltimum iudicium, quo sæculi consummatio continetur, id Ioannes aut ignorauit, aut certè non significauit. Et nihil hoc ad illorum excitandam vltimæ horæ expectationẽ valuisset, si horam hanc vltimam sic partijsset, vt non nisi ante penultimam, quæ futura erat post multa sæcula, futurum illum magnum Antichristum dixisset, quemadmodum tu fingis. Augustinus verò nihil habet, quod tuæ Demonstrationi faueat: Et Tertullianus minùs commodè de vltimo tempore scripsit, quem cõstat Chiliastarum errore imbutum fuisse. Theodoretus de tẽpore consummationis meminit, quod quamobrem tam restrictè, vt tu vis, sumatur, nullam causam video. Si enim hora nouissima tam ampla sit, & longa, vt tantum annorum numerum, quã tum scimus, comprehendat, nihil est cur somnium de tribus annis tuum his verbis declaratum esse existimemus. Et Gregorius quid tandem dicit? Nam vltimis temporibus venturum Antichristum quis dubitet? Tempus autem vltimum interpretamur, non quod Christi secundum aduentum tribus annis & sex mensibus antecedit, vt fingunt põtificij: sed quod inter Christum de-

claratum, & iudicium vltimum intereſt, quemadmodum in ſcripturis docemur. Sic quanquã multis iam ſæculis venit Antichriſtus, ſuumque Romæ regnum Antichriſtianum adminiſtrauit, tamen non niſi vltima hora, atque in conſummatione ſæculi venit, & tuus pontifex ille ipſe & potuit eſſe, & fuit.

Quod verò in fine ſubiungis de Pontificis ſtatu ſpirituali, quem illum mille quingentis annis verè tenuiſſe ſcribis, quàm verum ſit, vel ex hoc vno omnes intelligent, quod is epiſcopus vniuerſalis, non ante ſexcentos à Chriſto annos fuerit, quando hoc illi tributum eſt à Phoca parricida. Si enim hunc ſtatum antè tenuit, quamobrem aut eum repudiauit, vt Gregorius ſcribit, aut ipſe Gregorius damnauit, aut Bonifacius tãto ſtudio atque ambitione petijt & impetrauit? Nihílne cenſes aut dediſſe Phocam, aut accepiſſe Bonifacium? Si fortè nihil ea res ad ſtatũ ſpiritualem pertinebat. Quare deſine ſtatum hunc ſpiritualem pontificis tui venditare, quem ille non à Chriſto, non à Petro, non à maioribus ſuis multorum ſæculorum accepit, ſed paulatim fraude, mendacijs, religionis ementita ſpecie, principum gratia, vi comparauit. Sunt hiſtoriæ in manibus, in quibus ſtatus pontificij tui ſpiritualis, tum ciuilis initia atque incrementa perſcribuntur.

Septima Demonstratio, quod Pontifex Romanus neque fuerit aliquando, neque adhuc sit Antichristus, quia Iudæi suscipient Antichristum, velut Messiam suum, qui Papam eo modo nunquam susceperunt.



AVDIVIMVS quando venturus sit Antichristus, nimirum post imperij Romani desolationem, post Euangelium in vniuerso orbe prædicatum, denique in ipso consummationis mundi tempore. Sequitur iam vt declaremus, qui potissimum expectent eum. Nec enim venire omnino permitteretur, nisi essent aliqui quorum impietati hoc tam graue supplicium, velut merces quædam, persolui deberet. Christus autem ad Iudæos dixit, Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Illum alium, qui veniet in nomine suo, Antichristum esse, cum res ipsa loquitur (quia Christum alium præter Mariæ filium Iudæi expectant) tum Authores sunt Irenæus, Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus, quos ante laudauimus. Addamus iam Cyrillum Hierosolymitanum, qui (Catachesi 12.) Verum, inquit, Christum Iudæi negauerunt, falsum autē ipsi errātes recipient. Qua de re Saluator verè dixit: Si alius venerit in proprio nomine, illum recipietis. Hilarius etiam ait: Antichristus à Iudæis susceptus loco sanctificationis insistet, & proprius iste Iudæorum erit error, vt qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem. Ecce Iudæorum proprius error est? proprius, inquam, vt Antichristum suscipiant. Ephrē præterea Syrus in Sermone de Antichristo, narrat: Antichristum præcipuè honoraturam gentem Iudæorum. Ipsi quippe illius præstolantur aduentū. At sanè si rectè Apostolus animaduertit, illis mittendam operationem erroris, qui charitatem veritatis (id est, Iesum Christum) non receperunt, vt salui fierent: cum inter omnes constet nullos perinde peccasse in Christo non recipiendo, ac Iudæos: qui per Prophetas tot ante secula admoniti sunt.

N. SANDERVS.

Ioan. 5.

In huius lib. cap. 3.

Can. 25. in Mat. Iudæi suscipient Antichristū.

Præstolātur aduentum eius.

vt Christum expectarent, qui locum, vbi nasceretur, nouerunt, qui prædicantem audierunt, & miracula operantem viderunt, necesse est, vt illi potissimùm mer iti sint, qui seducerentur à Antichristo, quem tanquam Christum & Messiam suum habituri sunt. Ita enim scribit Ambrosius: Iudæi verum Christum negauerunt, vnde consequens erit, vt credant verum esse, qui falsus est. Quia enim Iudæi (*ait Theodoretus*) pro Deo vtiq; pugnantes, Dominum tanquã Dei aduersarium cruci affixerunt, maxima impietatis eorum confutatio erit Antichristi præsentia. *Cyrillus verò Alexandrinus tam Christum (Ioan. 5.) quàm Apostolum (2. Thes. 2.) ait de Iudæis & Antichristo locutum, atque ad postremum ita concludit,* hæc ratio (*de Antichristo venturo, qui nomini suo cuncta tribuet*) à saluatore dicta propheticè, tempore suo reipsa veritatem habebit. *Gregorius etiam Magnus*, Iudæa (*inquit*) erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat. *Quod si ita est, cum longè clarissimum sit, Iudæos nunquam suscepisse, imò semper odisse Romanum pontificem, num est Romanus pontifex, ille insignis Antichristus? Quæ Demonstratio tam certa est, vt ne species quidẽ iustæ ascensionis Protestantibus relicta sit.*

In luc. lib. 10. cap. 21.

Credent Antichristum esse verum Messiam.

In Iob. lib. 31. cap. 10.

Guilielmus Whitakerus.

VII. EXplicatæ sunt de tempore Antichristi Demonstrationes tuæ, in quibus etsi multum operæ posuisti, vt Antichristum nondum venisse persuaderes, atq; hoc modo nostras cogitationes à pontifice Romano, qui multis iam sæculis ecclesiæ imperauit, auerteres, tamen nõ dubito, quin æqui omnes facilè iam videant, nullam in tempore moram fuisse, quò minùs pontifex tuus Antichristi personam verè gesserit. Quicquid enim vel de imperij Romani sub-

uersione

uerſione, vel Euangelij in omnibus terris promulgatione, vel ſæculi diſſolutione legimus, quod quidem ad Antichriſtum pertineret, id totum eiuſmodi fuit, vt, niſi pertinaces eſſe volumus, in Romano pontifice agnoſcere debeamus. Nam & imperium multis ſæculis Romæ nullum fuit, & Euangelium omnes terræ plagas peruaſit, & diu iam in poſtrema mundi ætate viximus: ex quo conſtat, integram adhuc nobis eſſe hanc de Antichriſto, tuoque pontifice cauſam, quicquid à te hactenus demonſtratum eſſe dixeris. Aliam nunc viam inſtituis Demonſtrandi, in qua id agere conaris, vt à quibus ſuſcipiēdus ſit Antichriſtus, doceas. Ex eo enim concludes, pontificem non eſſe Antichriſtum, quod neceſſariũ eſt. Si enim non ſit ab illo populo cultus, à quo ſuſcipi Antichriſtum oporteat, non erit Antichriſtus. Sic autem ſtatuis, ſuſcipiendum eſſe à Iudæis Antichriſtum, atque id multis verbis cõtendis. Ita enim pontificem Romanum non eſſe Antichriſtum euinces, quandoquidem illum Iudæi nunquam in tanto honore habuerunt, quantum Antichriſto tribuent. Atq; hanc Demonſtrationem tam certam eſſe dicis, vt nullam iuſtæ Defenſionis ſpeciem Proteſtantibus reliquam fecerit. Ita quantum huic rationi confidas, intelligo, quando ſic eam laudas, vt non modò non vera reſponſione dilui, ſed ne eludi quidem illam verbis poſſe putes. Quis te neget præclarè functum eſſe ſummi Demonſtratoris munere? Quanquam nihil quidem ego poſſum

in argumento videre, quod vel tibi tantos spiritus addat, vel nos magnopere conturbet, vel accuratam defensionem postulet. Demonstrationis hæc forma est: *Antichristum Iudei tanquam Messiam suum suscipient: Romanum pontificem non suscipiunt, is ergo non est Antichristus*. Est hæc, vt dicis, egregia Demonstratio, & tuis proculdubio mirificè placet, quos Dominus sano iudicio priuatos esse voluit, vt in pontificijs mendacijs, & sophismatis acquiescerent. Quis enim id tibi dederit, quod primũ est in argumento, quodque ipsam Demonstrationem continet, sic à Iudæis suscipiendum esse, vt tu statuis, Antichristum? Siquis sit scripturæ locus, vnde id futurũ intelligamus, æquum est, vt tibi hoc modo Demonstranti assentiamur: sin hominum duntaxat, quantumuis & antiquitate, & eruditione præstãtium, testimonijs pugnas, dabis vel inuitus, Sandere, nobis, vt tantum illorum verbis, in religionis, fideique causis tribuamus, quantum scripturis consentaneum esse perspicimus. Nos enim didicimus fidem nostrã certis & exploratis scripturæ oraculis, non hominum dubijs, varijsque placitis suspendere: nec te aliquid demonstrasse existimabimus, si vel patrum integrum senatum in nos commoueris, nisi quod dicitur, id Dei ipsius, non hominum voce comprobetur.

Tibi verò quid multa hîc respondeam, Sandere, qui præter nõnulla patrum testimonia, nihil quod quicquam valeat attulisti? Hoccine est Demonstrare, quasdam Cyrilli, Ambrosij, Hiero-

Hieronymi sententias recitare, tùm ex illis sine scripturarum authoritate concludere? Fore enim vt ad Iudæos potissimum veniat Antichristus, id ex nulla scriptura discimus: & illum Apostolus non Iudæis dominantem, quemadmodum pontificij somniant, sed in templo Dei sedentem, hoc est, in ecclesia Christianorum regnantem describit: vt Iudęi autem Antichristum in ipsa mundi consummatione pro suo Messia suscipiant, quod Sanderus Demonstrare conatur, cum Pauli sententia nullo modo congruit, qui gentis huius futuram olim instaurationem prędicit. Num postquàm Christo nomen dederint, ad Antichristum transfugient, aut post deletum Antichristum, Christi Euangelium amplectentur? Quanquam id qua ratione possit euenire, non facilè expedies, nisi aut illum momento futurum somnias, aut inter Antichristi interitum, Christique aduentum, longius interuallum statuis, quàm videris, quando Antichristum in ipsa consummatione venturum contendis. Vt hæc conueniant tuum est explicare, qui quasdam obscuras hominum incertasque coniecturas nullis scripturis approbatas, pro clarissimis Demonstrationibus, regulisque fidei obtrudis. Nam vt Christi illa verba, quæ iactas, de Antichristo intelligamus, nulla planè ratio suadet. *Si alius*, inquit Christus, *venerit in nomine suo, illum accipietis*. Nullúmne vnquam Iudæi libentius, quàm Christum, susceperunt? Id dicere sine mendacio non potes, qui & Theudã,

Rom. 11. 25. 31.

Ioan. 5. 43.

Ioseph. de bello Iudaico lib. 2. cap. 12.

Pet. Balat. lib. 40. cap. 21.

& Cuziban, & alios pseudoprophetas ad Iudæos venisse, ab ijsque susceptos esse non ignoras. Cum quo satis constet Iudæos in quemuis ψευδόχριστον semper, quàm in ipsum Christũ fuisse propensiores, quid opus est, vt de Antichristo nunc locutum esse Christum fingamus? Nullus enim tam notus & nefarius impostor fuit, quẽ non sequi ac suscipere multò magis, quàm Christum maluerunt.

Deinde si mihi liceat tuo more disputare, vt quia Paulus, quando mentionem facit Antichristi, articulum adiunxit, ὁ ἄνθρωπος, ὁ ἀντικείμενος, ex quo vnum duntaxat hominem esse Antichristum concludis, perinde non esse hîc de Antichristo locutum Christum euincam, quandoquidem non ait, ἐὰν ὁ ἄλλος, sed articulo omisso, ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ, vt non de certo homine, sed quouis ψευδοχρίστῳ fieri verba intelligamus. Etenim multò minùs articulus appositus rẽ certam declarari, quàm abiectus non indicari demonstrat. Vt locum hunc patres interpretentur quid attinet commemorare? Quasi aut ij soli scripturas rectè interpretari possunt, aut hîc aliquid difficile occurrat, quod nullo modo assequare, nisi ad patres antiquissimos confugias? Quid hoc aliud sit, quàm nobis non spiritum modò Dei, sed sensum etiam communem detrahere? Cyrillus Hierosolymitanus satis commodè scripsit. Hilarius si sic errorem hunc fore Iudæorum proprium sensit, vt Antichristum à Iudæis solis suscipiendum iudicaret, vel vestro iudicio errauit,

Ephræmum

Ephæmum verò minùs moramur.

At etiam argumento, quod cepisti, declaras. Si enim apud illos plurimum valebit Antichristus, qui non receperunt veritatem, quemadmodum Apostolus significauit, id de Iudæis necessariò intelligendũ esse statuis, qui in Christo non suscipiendo omnium maximè peccauerunt. Sic tu perpetuò, Sandere, disputas, verum erras, dum Apostoli verba tam putidè, & malitiosè interpretaris. Loquitur enim non de ijs, qui externam Euangelij professionem nũquam susceperunt, sed qui non ita amplexi sunt veritatem, vt salui fierent, quod multi faciunt, qui Christiani nominantur, atque Euangelium publicè profitentur. Dum illi nuda quadam inaniq́ue professione contenti, vim ipsam veræ fidei amittunt, Antichristi fallacijs atque erroribus capiuntur. Et hoc quidem in ecclesia Romana manifestum est, si volumus attendere: Quando enim & docti sese pontifici Romano venditant, vel commodi spe, vel ambitione, vel pertinacia, & populus ignarus religionis in cæcitate sua & tenebris acquiescit, quanquam amare veritatẽ videri volunt, tamen non sic amant, quemadmodum debent, & colunt Antichristum, & nisi veritatem meliùs recipere discant, salui esse nunquam profectò poterunt. Et meriti quidem homines hi sunt, vt quando quidem puram Christi doctrinam atque Euangelium minùs, quàm oportuit, curarint, fidei iacturam facerent, & Antichristianam, pontificiamq́ue ἀποστασίαν susci-

perent. Quæ sequũtur hoc loco, tota sunt aliena & ἀναπόδεικτα. Nisi enim hominum dicta diuinis testimonijs exæquamus, nihil hic potest à nostro Sandero demonstrari. Quare qui falli prudenter & perire volunt, quiduis accipiant, quo perniciosum errorem alant, nos humanas coniecturas mittamus, & Satanæ præstigias discutiamus, & ex scripturis Antichristum agnoscere discamus, & quousque pontifex Romanus se non esse Antichristum meliùs demonstrarit, hunc ipsum, quod verè licet, pro Antichristo habeamus.

Octaua Demonstratio, quòd Pontifex Romanus non sit Antichristus, quia ille nascetur ex Iudæis, de tribu Dan: quod idem pontificibus Romanis non accidit.

N. SANDERVS.



ERTVM *iam est ex præcedente Demonstratione, Iudæos Antichristũ velut Messiam suum recepturos esse. Ioan. 5. & 2. Thes. 2. Illi autem non recipient alium in Messiam suum, nisi quem Iudæum ex Iudæis natum credant. Dixerunt enim*

Mat. 22. Christum esse filium Dauid. *Itaque cum ex genere Dauidis Christum suum expectent, licet confusæ*

Antichristus nascetur ex Iudæo. *iam sint tribuum familiæ apud Hebræos: tamen saltem Iudæus habendus est, qui ab illis recipietur. Vnde Hieronymus:* Antichristus (*inquit*) nasciturus est de populo Iudæorum.

In cap. 11. Daniel. *Quæ res adeo & scripturis sanctis, & rationi rectè conuenit, vt sancti patres tribum etiam in sacris literis designatam dicant, ex qua orietur Antichristus. Nec enim Deus patietur illum ex*

Irenæ, lib. 5. *regia tribu Iudæ originem ducere. Itaque D. Irenæus:* Hieremias (*inquit*) tribum, ex qua veniet Antichristus, manifestauit,

festauit, dicens: Ex Dan audiuimus vocem velocitatis equorum eius. A voce hinnitus decursionis equorum eius commouebitur tota terra, & veniet, & manducabit terram, & plenitudinem eius, & ciuitatem, & qui habitant in ea. Et propter hoc non annumeratur Tribus hæc in Apocalypsi cum his quæ saluantur. *Hactenus Irenæus, cui etiam assentitur Hippolytus in oratione de consummatione mundi.* Antichristus (*ait*) certò nasciturus est ex tribu Dan, & veluti rex tyrannus aciem ex aduerso instructurus est iudex seuerus, ac Diabolus. Quemadmodum enim è Tribu Iuda natus est Christus: ita nascetur è Tribu Dan Antichristus. Nam per omnia seductor ille vult imitari filiũ Dei. Leo Christus, Leo quoque Antichristus. Ex Hebræis ortus est Christus, hic quoque nascetur ex Iudæis. *Ambrosius etiam dicit*, Antichristum futurum, ex Tribu Dã, sæuum iudicem, immanem tyrannum. *Denique Augustinus*: Cum Iacob (*inquit*) filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, vt de ipsa Tribu existimetur exurrecturus Antichristus. *Cum ergo tam Græci, quàm Latini Patres ex ipsis scripturis eam sententiam hauserint, quòd Antichristus ex Iudæis nasciturus sit, constet verò, Pontifices Romanos non ex Iudæis, verùm ex gentibus esse natos, & alios quidem ex alijs regionibus, plerosque verò ex Italia, nec vllus eorum ac multò minùs omnes, qui per hos septingentos annos vixerunt, de Tribu Dan exurrexerint: profectò ab omni sacrarũ literarũ sensu abhorret, vt dicamus, Papam esse illum Antichristum, qui potissimùm ad commendandam Iudæorum perfidiam ex Iudæis natus ad Iudæos mittetur.*

Antichristus de Tribu Dan.

Gen. 49. & Hierem. 8.

De benedictione patriar. cap. 7. Gen. 49. Deut. 33. Quæst. super Iosu. cap. 22

Guilielmus Whitakerus.

ERror errorem gignit, & qui falsam causam defendit, ijs argumentis contentus esse debet, quæ quãquam re sunt ineptissima, probabilitatem tamen qualemcunque, verique speciem ostendunt. Inualuit apud veteres vana de VIII.

Antichristo sententia, vt illum à Iudæis, tanquã Messiam quendam suscipiendum esse iudicaret. Eam pontificij, quia Romano Antichristo commodam esse sentiunt, amplectuntur & propugnant. Hunc verò duo illa sequantur est necesse, de quibus duæ sunt, Sanderi Demonstrationes, primũ vt sit genere Iudæus, alterum vt sacris Iudaicis, ritibusque inseruiat Antichristus: in quibus nunc expoliendis, & fuco quodam oblinendis, Sanderus noster elaborat. De genere Antichristi quid hîc verò affers, Sandere, vnde illũ Iudæum fore intelligamus? *Illi*, inquis, *non recipient alium in Messiam suum, nisi quem Iudæum esse credant*. Id quidem erat necessarium, si vera essent insomnia vestra, quibus & Antichristum Messiam nouum fore, & ad Iudæos propriè pertinere fingitis. Sed hæ futiles sunt, vanæque præstigiæ, quibus id vnum efficere vultis, vt nos videntes ne videamus Antichristum. Quid enim attinet Iudæum quendam Antichristum expectare: quando apud Christianos regnasse multis sæculis Antichristum non possumus ignorare? Quærat qui volet apud Iudæos Antichristum, nos quem scriptura, tempusque demonstrauit, eum si nolumus agnoscere, istius ignauiæ, & stuporis pœnas meritò luemus. Verùm Sandere, quomodo Iudæum fore persuades Antichristum, aut quem potes in causa hac scripturæ locũ adhibere? *Hoc* ais, *adeo & scripturis sanctis, & rationi rectæ conuenit, vt sancti patres tribũ etiam in sacris literis designatam dicant*. Scripturas

si

si quas habuisses, eas profectò minimè tacuisses: nihil autem omnino scripturę dicunt, vnde Iudæum fore Antichristum suspicemur. Ratio verò, si caret scripturis, non potest fidem informare, aut religionis præcepta tradere. Et quæ tãdem ratio Iudæum fore Antichristum docet? imò id & scripturæ sanctæ, & vera ratio falsissimum esse euincit.

Tribum autem Antichristi quam Patres, Sãdere, designant? Hic iam Irenæum, Hippolytũ, Ambrosium, Augustinum introducis, qui Antichristum ex tribu Dan oriturum scribunt. Si scripturas illas, quarum meministi, aut rectam rationem attulisses, Demonstratorem te nobis meliorem præbuisses. Cum enim non ignorent Iudæi Messiæ sui tribum, & illum Dauidis fore filium intelligant, quæ nobis vel ratio, vel scriptura persuadebit, vt, quem illi sint pro Messia suo habituri, eum de tribu Dan nasciturum existimemus? Neq; verò sic confusæ sunt tribuum familiæ, vt nullum nunc discrimen remanserit, quemadmodum falsò affirmas. Et si possunt Iudæi in tanto errore versari, vt qui est de tribu Dã, eum esse de tribu Iuda, & Dauidis familia natũ existiment, quid ni fieri posse credamus, vt in ipso etiam genere fallantur, & qui Iudæus non est, esse Iudæum arbitrentur? Nam vt de tribu Dan nascatur Antichristus, id quidem adeo nec scripturis, nec rationi conuenit, vt ab ipsis nunc pontificijs repudietur, qui controuersias diligẽtissimè tractarunt. Consulant tyrones nostri ce-

Bellarmini controuersiæ de Antichristo. lobres illas Bellarmini controuersias, quas fere omnes habent in manibus: intelligent hoc illi totum de tribu Dan commentum displicere. Et tamen non desunt hîc testimonia patrum, quæ si vera sint, de tribu Dan prodeat Antichristus est necesse. Sin hîc errare patres potuerunt, & tanti patres, quãtis nulli grauiores sunt, quid ita patrũ dicta quæque veneremur, vt quicquid illi dicũt, *Hier.* 8.16. id demonstratũ esse statuamus? Hieremiæ malum hoc loco interpretem fuisse Irenæum, miror si non ipse Sanderus fateatur. Quæ enim propheta de Chaldæis dixit, quorum iam aduentãtium strepitum quodammodo ab extremis terræ finibus exaudire visus est, ea ad Antichristum accommodare durum nimis & coactum videa-*Apoc.* 7. tur. Si verò quia tribus ista in Apocalypsi non numeratur, ex eo colligi liceat, inde Antichristum oriturum, idipsum etiam de tribu Ephraim iudicari possit, quam in Apocalypsi Ioannes prætermisit: Cur enim magis ex illa quàm ex hac tribu existet? nisi forsan illi paternum genus erit ex tribu Dan, maternum ex tribu Ephraim. Quanquam huic sententiæ Irenæus non nimiũ confidit, & Antichristum Romani imperij principem esse posse non negat, & consilium verum ac salutare proponit, vt euentum potiùs expectemus, quàm coniecturas incertas sequamur. *Certius ergo*, inquit, *& sine periculo est sustinere adimpletionem prophetiæ, quàm suspicari*. Hippolytus nihil ex scripturis affert, nihil Ambrosius, id quod argumento sit, traditione potiùs incer-

ta,

ta, quàm scripturarum authoritate inductos esse, vt isto modo scriberent. | Augustinus Iacobi dictum meminit, quo fraus, astutiaq; Danis prędicitur. *Erit Dan*, inquit Patriarcha, *coluber in via*. Quid hoc ad Antichristum magis, quàm illud, *Issachar asinus ossibus valens*, aut *Beniamin, lupus, qui discerpit?* Diuinare hoc quidem est, non scripturas recto, certóque iudicio interpretari. Quare quantum iam hac tua Demonstratione effeceris, *Antichristus nascetur ex tribu Dan: pontifices Romani Itali plerique sunt, neque nascũtur ex tribu Dan: igitur Papa non est Antichristus*, omnium existimationi relinquo. Antichristum enim talem esse oportet, qui ex antiquo Romano imperio oriatur, illudque instauret, quemadmodum ex scriptura discimus, id quod Iudæo vix quidem satis conuenit. Nihil ergo est, quo minus aut Bononiæ, aut Florentiæ, aut Romæ, nascatur Antichristus, & quisquis pontificiæ tyrannidis solum occupat, is Antichristus est, siue Italus, sine Gallus, siue Græcus, siue quacunque tandem gente, tribu, familia prosemi-natus.

Gen. 49. 17

2. Thes. 2. 6.
Apoc. 13. 12 &c.

Quibus sacramentis initiabitur Antichristus: seu Demonstratio nona, quòd Papa non sit Antichristus: quia iste circuncidetur, & Sabbata colet, cum nullus vnquam Papa circumcidi se permiserit, aut Sabbatum ritúsque Iudaicos celebrauerit.

IX.

N. SANDERVS.

Ioan. 5.



I verè dixit Christus, Iudæos alium in suo nomine venientem suscepturos esse, *nec illi quenquam pro Messia suscepturi sint, qui non ex Iudæis originem trahat, & legem eorum obstruet* (in lege enim requiescunt, in scripturis putant se vitam æternam habere, in Moyse gloriantur, & æmulationem Dei habent, licet non secundum scientiam) *profectò nec illud potest dubitari, quin Sacramenta, quibus primùm initiabitur Antichristus, illi cum Iudæis futura sint communia. Itaque cùm circuncisio, quæ non tantùm ex lege, verùmetiam ex* Patribus est, *omnium sacramentorum Dei longè antiquissimum sit: non temerè scripsit Ambrosius,* Antichristum ex circuncisione, aut circuncisum venire spetandum esse, vt sit Iudæis credendi illi fiducia. *Eodem pertinet quod Gregorius Magnus ait:* Quia Antichristus Iudaizare populum compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult Sabatum. *Denique Hieronymus ita scribit:* Antichristus simulabit se ducem esse fœderis, hoc est, legis & testamenti Dei. *Nec dicant Protestantes (vt solent) hæc omnia præter scripturas dici. Nam si ex scripturis constat, Iudæos expectasse Messiam omni tempore, atque adhuc expectare: si non recipient nisi amicum ac studiosum legis Mosaicæ; profectò satis clarè consequitur ex ipsis scripturis, vt Antichristum oporteat* Circuncisionem ac Sabata colere. *Cum verò ipse vsus rerum abundè testatur, nullum Pontificem Romanum, aut scipsum circuncidisse, aut Sabata Iudæorum celebrasse, aut alios legis Mosaicæ ritus coluisse: quis non videt, cum scripturis diuinis penitus pugnare, vt Papa dicatur esse ipse Antichristus.*

Rom. 2. Ioan. 5. Rom. 10.

Ambro. in 2. Thes. 2. Antichristus circumcisus. In regist. lib. 11. Ind. 6. ep. 3. Hieronym. in 11. cap. Daniel. Ioan. 4.

Guilielmus Whitakerus.

IX. SVperuacaneum erit ad hanc Demonstrationem multa Sandero respondere. Ex ijs enim quæ iam dicta sunt, satis perspici potest, quàm sit ab omni & scripturarum sensu & sano

ſano iudicio alienum, vt vel mittendum ad Iudæos Antichriſtum, vel ipſum fore Iudæum exiſtimemus. Quod enim Chriſtus Iudæos dixit alium in ſuo nomine venientem ſuſcepturos, id iam olim veriſſimum fuiſſe res ipſa comprobauit, vt minimè neceſſe ſit in fine mundi futurum ſuſpicari, quando Antichriſtum pontificij venturum ſomniant. Iſta ergo, quæ hîc de circuncisione Antichriſti, & Sabbatis & ceremonijs Iudaicis finguntur, ſua ſponte diffluunt. Ambroſius, & Gregorius coniecturas ſuas, non veras ſententias prodiderunt: & ſi rectè hîc Antichriſtum Iudaicis ſacris initiatum fore demonſtras, quia tale aliquid Ambroſius, & Gregorius obſcurè ſignificant, victum me in cauſa fatebor. Sed huiuſmodi Demonſtrationes vera Theologia nullas agnoſcit, & te omnes, quando iſto modo diſputas, tanquam ineptum & delirum ſophiſtam explodunt. At hîc Proteſtantibus reſponſionem præcipis, ne dici hæc omnia præter ſcripturas dicant. Et quibus hæc Sandere, ſcripturis conueniunt? *Iudæi*, inquis, *Meſsiam ſemper expectarunt atque adhuc expectant*. Quis negat? Sed quomodo hæc tua cohærent? Iudæi Meſſiam expectant, ergo Antichriſtus erit Iudæus, mittetur ad Iudæos, ritus Iudaicos obſeruabit. Longius iſta diſtant, quàm vt poſſint ſine maxima virium contentione contrahi, ac cōglutinari. Nunquam enim, Sandere, euinces, talem Antichriſtum fore, qualem Meſſiam ſuum Iudæi agnoſcunt. Iam ergo Demonſtratio hæc

tua, quam nobis obtrudis, *Antichristus circumcidetur, & sabbata colet: pontifex Romanus ab vtroque semper abhorruit, ergo non est Antichristus,* vim omnem amisit boni ac solidi argumenti, cuiusmodi nullum à te in hac causa volumus expectare. Semper enim, vt docet Philosophus, Demonstrationes rei subiectæ, & materiæ similes esse debent. Dum pro Antichristo decertas, causamque perditam ac profligatam defendis, veras Demonstrationes nullas potes vnquam adhibere.

Arist. Eth. lib. 1 cap. 3. ἐκ τοιούτων λέγοντας τοιαῦτα καὶ συμπεραίνεσθαι.

De studijs & doctrina Antichristi: seu Demonstratio decima, quòd Papa non sit Antichristus, quia Papa non negat, Christum Iesum incarnatum esse, quod tamen Antichristus faciet.

N. SANDERVS.



VICQVID *ad fidem autoritatemue apud homines, ac præsertim Iudæos, conciliandam spectat, id non prætermittet Satanas organo huic suo Antichristo tum persuadere, tum inspirare. Et quia* mendax est Diabolus, mendaciique pater, *& Antichristus etiam* mendax ille *appellatur, ac in* prodigijs mendacibus *venturus dicitur: non est dubium, quin ab initio aget hypocritam, simulabitque virtutum omnium studia & amorem. Vnde Cyrillus Hierosolymitanus rectè dixit,* Antichristum ab initio simulaturum temperantiam, & humanitatem. *Nec minùs aptè Ephrem Syrus:* Vt omnes (*inquit*) fallere possit, falsus atque falsiloquus humilem se simulabit & blandum, iniustitiam aspernantem, præferentem pietatem, benignum, pauperem, studiosum, speciosum vltra omnem admirationem, placidum, hilarem ad omnes, placere omnibus nitetur, vt citò à populis ambiatur, ametúrque. *Ad hanc*

Ioan. 8.

1. Ioan. 2.

Cathe. 15. Antichristus hypocrita. Ephrē Serm de Antichristo.

hæc hypocrisin Antichristi pertinere videtur, quod Daniel scribit, Dan. 11.
eum tam in concupiscentijs, fœminarũ non futurũ, quàm futurũ. *Nam (vt in eo loco Hieronymus annotauit) verba Danielis ita sunt posita, vt liceat vtrumq; intelligere. Nam & in corde suo erit in cõcupiscentijs fœminarum, & tamen quia nouit, castitatẽ magnum quoddam donum esse, simulabit se non esse in concupiscẽtijs fœminarũ. Hæc igitur ab initio consectabitur Antichristus. Verùm vbi paululum insinuauerit se, animósque hominũ sibi deuinxerit: tunc demum virus illud suum euomet, quod ab ipso Diabolo haustum ab ineunte ætate imbiberat. Inuidens enim Christi gloriæ, & Christianorum saluti, negabit, illum* esse Christum, *seu Messiam qui sub Pontio Pilato crucifixus est, quiq; die tertia surrexit, & iam sedet in gloria Patris Dei. Hic est præcipuus scopus ad quem Antichristi doctrina tendit, quod ipsum per sanctum Dei spiritum præuidens Ioannes Euangelista,* 1. Ioan. 2.
cùm dixisset: Audistis, quia Antichristus venit: *Et,* Omne mendacium non est ex veritate: quis est (*inquit*) ille mẽdax, nisi qui negat quod Iesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. *Et (cap. 4.)* Omnis spiritus qui soluit (*seu qui non confitetur*) Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Et hic est (*spiritus*) Antichristi, de quo (*spiritu*) audistis quod venit (*potenter in Antichristo ipso*) & nunc iam in mundo est, *per Antichristi membra & præcursores. Etenim spiritus Antichristi fuit in mundo etiam Apostolorum tempore, quia Satanas, qui conditus est in principio rerum omnium, quique Christo post incarnationem eius præcipuè inuidet, hunc malitiæ spiritum & alijs antè, & tandem eximio illi suppeditat Antichristo. Præclarè igitur Hilarius ait:* Hæc interim loquitur planè per aduentus sui Prophetas ac præuios ipse ille, qui postea erit in Antichristo loquuturus: Salutarem fidei confessionem his tentamentis nouis inquietans, vt primùm conscientiæ nostræ, qua ita credimus, intelligentiam filij naturalis euellat: Deinde ipsum illud, quod adoptiuum erit, reliquum nomen, excludat. *Docet Hilarius, vltimum Satanæ scopum esse, vt per Antichristum, Christi nomen in vniuersum excludat: ad quam rem suo tempore instituendam, non parum adiumenti attulerant Ariani, præcursores Antichristi,*

Antichristus negabit Iesum esse Messiam.

Lib. 6. de Trinit.

dum negârunt, Christum esse filium Dei naturalem. Sed quod Satanas, qui est velut anima & spiritus Antichristi, per alios administros suos sæpè tentauit, hoc multò potentiùs efficiet, cùm ipse ille Antichristus venerit, qui non verbis modò affirmabit, sed operibus etiam prodigiosis conabitur persuadere, quòd Iesus Nazarenus non est Christus, seu Messias verus.

Hæc ratio conuincit Antichristū verè negaturum quod Iesus sit Messias in lege prædictus.

Ac nimirum nisi Antichristus absque vllis ambagibus negaturus esset, Iesum Nazarenum, in quem tot annis credimus, illum Messiam esse, de quo prophetæ prædixerunt, quòd redempturus esset genus humanum: frustra Nouum Iudæi Messiam expectarent, quod tamen eos facere, nemo qui aliquid de Iudæorum spe nouit ignorat. Quapropter tametsi in multis aliis rebus, Antichristus Deo se opponit, tamen ob nullam causam veriùs appellatur, Aduersarius, & Antichristus, quàm quòd ipsam Christi personam & aduentum vniuersum oppugnabit, negans Christum operatum esse redemptionem, & salutem nostram.

Papa confitetur Christum in carne venisse.

Cum igitur hic sit proprius Antichristi spiritus, vt neget, Christum in carne venisse: manifestum verò existat, Pontifices Romanos tam longè ab hoc spiritu & olim abhorruisse, & hodie abhorrere, vt non modò confiteantur quotidie in symbolis Apostolorum, Niceno, & Athanasij, Christum venisse in carne, verùm etiam nunquam receperint, atque adeo semper abiecerint, & detestati sint eas hæreses, quæ vel diuinitatem Christi per Arianos, vel incarnationem per Marcionitas, & Manichæos, vel earumdem naturarum vnionem per Nestorianos, vel perseuerantiam in cælo per Eutichianos & Monothelitas oppugnârunt, adeo vt nulla Ecclesia in vniuerso mundo Christi aduentum veriùs, aut ipsa tum verbis, tum scriptis, tum sacramentorum celebrationibus confessa fuerit, aut ab alijs confitendum curauerit: prorsus cum expresso Dei verbo pugnat, vt Romani pontifices dicantur ipse Antichristus. Hoc enim perinde est, ac si dicatur: Is qui ritè sedet in ea Ecclesia, quæ maximè omnium confitetur, Iesum esse Christum, quæq; fidem diuinitatis & incarnationis Christi præcipuè tuetur, is est ipse idem Antichristus, qui soluit Iesum, & negat eum in carne venisse. O stupidam Hæreticorum mentem, qui seriò dicunt, seriò concionantur, seriò scribunt, repetunt, inculcant,

cant, Romanum Pontificem esse ipsum Antichristum. Ergóne ipse Antichristus corde credit, ore confitetur, & sacramentorũ frequentatione agnoscit, Iesum esse Christum?

Guilielmus Whitakerus.

DE genere Antichristi satis multa Demõstrata sunt: nunc de ipsius studijs & doctrina reliquum est vt audiamus. Cum autem Antichristum ad Iudæos potissimum relegaris, quandoquidem ea sententia Romanum pontificem magnopere subleuat, cui molestum est Antichristum iudicari, illius eiusmodi quoq; disciplinam fore contendis, quæ Iudæorum ingenijs aptissimè conueniat. Verùm Antichristũ illũ, Sandere, fictitium tuũ satis, opinor, excussimus, vt desinat deinceps, nobis falsa Antichristi imagine fucum facere, oculosque nostros & cogitationem à vero Antichristo abducere. Quemadmodum enim in prælio nonnunquam regijs armis miles instructus in aciem prodit, vt dum hostes insignia atq; ornamenta regalia conspiciunt, regem ipsum esse, quem petunt, sibi persuadeant, atque hoc modo belli impetum aliò auertant: ita fictum quendam pictúmque Antichristum nobis pontificij ostendunt, quem dum esse Antichristum credimus, verum Antichristũ minùs interim animaduertamus. Quare suppositi tios Antichristos mittamus, quos pontificij variè atque egregiè pictos & ornatos obtrudũt, atque ipsum Antichristum, qui aliam personam X.

induit, agnoſcamus, teneamus, impetu perpetuo atque acerrimo oppugnemus. Te verò, Sãdere, non nego præclaram in hoc imaginario Antichriſto peritè & ſplendidè informando operam poſuiſſe, vt qui fraudes veſtras ignorat, ſpectrum pro Antichriſto proponi, verùmque Antichriſtũ alibi latère neſciat. Quos hactenus Antichriſto tuo colores obleueris, detraximus atq; abſterſimus: quæ reliqua ſunt pigmẽta conſideremus. Et quæ primò hîc de Antichriſti hypocriſi ſcribis, do eſſe veriſſima: nam vt ſingularem ſimulet pietatem Antichriſtus eſt neceſſe. Sed hoc tuo pontifici ſic præclarè congruit, vt vel maximè hunc ipſum Antichriſtum eſſe arguat. Quæ enim maior hypocriſis fingi poſſit, quàm ea eſt, qua multis ſæculis vſi ſunt Romani pontifices, qui cum nihil habeant, quod habere epiſcopi debeant, tamen epiſcopi vniuerſales dici volunt, cùm fide, religione, pietate, honeſtate, omni virtute careant, hæc tamen omnia ſumma in ſe eſſe ſimulant, cum plerique nullum Deum, nullum Chriſtum, nullam animam, nullam vitã futuram eſſe credant, ſe tamen eccleſiæ fundamenta, Chriſti vicarios, fidei firmamenta vocant, & errare poſſe negant: Cum lupi ſint incredibili rapacitate horrendi, pelles tamen ouinas induunt, & agni quidem cornua oſtentant, Draconis autem ſimiles voces emittũt: cum ſe eccleſię amicos, cuſtodes, vindices, ſponſos faciãt, veram eccleſiam miſerè vaſtant & populantur. Deniq; cum ſe velint caſtiſſimos videri, & à fœmi-

narum

narũ concupiſcentijs abhorrere, tamen fœdis & infandis libidinum flagitijs contaminantur, vt in tãta, tamq; inaudita morũ prauitate & nequitia, qui ſcortis tantũ delectatur, eum iam honeſtũ caſtũq; ducant. Dominus ſuis omnibus oculos aperiat, vt huius monſtri pernicioſam & perfidã hypocriſin agnoſcãt, illũq; in tẽpore fugiant, ne de poculo ipſius bibant, & vnà tandẽ cũ illo pereãt.

Hæc, inquis, *erunt initio Antichriſti ſtudia*, vt ſimulatione virtutis paulatim in hominũ animos influat. Poſtquam autem his artificijs beneuolentiam populi comparauit, tum demum, ais, euomere virus illud incipiet, quod ab ætate ineũte imbiberat. At hæc ſic à te dicuntur, quaſi rem certam geſtamque narrares, non tua ſomnia exponeres. Virus autem illud cuiuſmodi eſt, quod euomet Antichriſtus? *Negabit*, inquis, *Ieſum eſſe Chriſtum*: atque in iſto fundamento Demonſtrationem tuam conſtituis, quam nullis verbis, vt ſoles, perſequeris. Eam hoc ſyllogiſmo concludere licebit: *Si Antichriſtus negabit Ieſum eſſe Chriſtum, aut veniſſe in carne, tum pontifex Romanus qui vtrumq; credit non eſt Antichriſtus: At primum verum, ergo & ſecundum*. Atq; hanc tã neceſſariam rationem & certam eſſe exiſtimas, vt ſtupidam hæreticorum mentem miteris, qui iſta non videant, & Romanũ pontificem eſſe ipſum Antichriſtum defendant. Verùm non ita ſumus, Sandere, ſtupidi, vt quanta vis ſit in argumentis tuis neſciamus, aut ſcripturas, niſi tu nobis eas interpreteris, parũ intelligamus. Eſt quod nos

tuã potius perditam ac nefariam pertinaciã deploremus, qui notos Antichristi errores ac hereses defendis, ipsumq; Antichristũ esse Antichristum negas & quã potes plurimos in certam perniciem conijcis. Argumentũ, quod tu tantopere laudas, captiosum est & sophisticum. Quin is sit Antichristus, qui Christum negat in carne venisse non dubitamus: id enim Ioannes apostolus affirmauit. Quanquam illum Antichristum, qui id neget, iam tunc in mundo fuisse scribit: vnde non tam de magno Antichristo, quàm de illius ministris & anteambulonibus, qualis Simon Magus, atque alij nonnulli extiterunt, qui Iesum esse Christum palam negabant, locutum esse existimemus. Nam tuam huius loci interpretationem, & illustrationem non morabor. Age verò, sit vt dicis, & neget ista Antichristus, quæ sunt nostræ fidei principia, & quæ negari sine perfidia, ac salutis iactura nequeunt. Ergo, inquis, Romani pontifices ab Antichristo alieni sunt, qui Christum in carne venisse constantissimè semper crediderunt, & publicè in symbolis professi sunt, & hæreses contrarias damnarunt. Respondeo cum Augustino, *Non attendamus ad linguam, sed ad facta: si enim omnes interrogentur, omnes vno ore confitentur Iesum esse Christum, quiescat paululum lingua, vitam interroga*. Siquidẽ fore constaret, vt vel Antichristus venisse in carne Christum verbis & palàm negaret, vel qui apertè & verbo tenus profitetur Iesum esse Christum, eumque in carne venisse non negat, non posset

1. Ioan. 4. 3.

August. in epist. Ioan. tract. 3.

possset esse Antichristus, confecta iam tuo argumento res esset, vt nullam præterea causa hæc Demonstrationem postularet. Sed neque id Ioannes dixit, vt Antichristus Iesum esse Christū palam negaret, nec qui id palàm confitetur, is se non esse Antichristum comprobaret. Non negat pontifex Iesum esse Christum, & multa de Christo piè & verè prædicat, quia si palàm contraria defenderet, nimis se proderet, notúmque faceret. Sed quanti hoc, quæso, est? Dęmones Christum agnoscunt, eumque sanctum illum Dei appellant, atq; ita esse certissimè credunt. Si hoc confiteri Dęmones possunt, & tamen non desinunt esse Dæmones, quis miretur Iesum ab Antichristo Christum appellari, & ipsum tamen interim Antichristum permanere? Non ita desipit Antichristus, vt hunc articulum tam perspicuum, tamque necessarium verbis oppugnet, & falsum esse palàm doceat. Tamen Iesum esse Christum negabit Antichristus, & Iesum esse Christum negat pontifex Romanus, quanquam & symbola retinet, & quotidie decantat, *Credo in Iesum Christum*: Et Iudas Christum amica salutatione atque osculo complexus est, quem tamen & odit, & negauit & prodidit. Est ergo alius negandi modus, quàm ille quem Sanderus noster proponit.

Mar. 1. 24.
Luc. 4. 34.

Negat enim non modò qui primum tollit, sed qui secundum etiam, quod ex primo necessario consequitur, euertit. Etsi ergo Iesum esse Christum pontifex verbis, semper & admodum pro-

fitetur, eósque omnes damnat, qui illud negant, tamen ea palàm & publicè docet, ex quibus certissimè euinci possit, si vera sint, Iesum nec esse Christum, nec in carne venisse. Quis verò non ab eo Iesum esse Christum negari sentiat, cuius perpetua doctrina constansque professio Iesum non esse Christum patiatur? aut quis in carne venisse Christū ab eo negari dubitet, qui huius aduentus atque ἐνσαρκώσεως causas tollit? Iudæi Deum conditorem verbis confitentur: quia tamen Christum repudiant, sine quo Deus ignoratur, nec Deum vllum agnoscunt, etsi Deum veteris testamenti authorem inuocant. Arius Christū esse Deum nō negauit, sed quia Christū Patri inæqualem fecit, Christi diuinitatem per cōsequens sustulit. Quid alijs exemplis opus est? Ex his perspicuum est, qui consequens necessarium negat, etsi principiū verbo ponit, re tamē destruit: quod & philosophi, & Theologi omnes verum esse intelligunt.

Iam ergo si pontifex eiusmodi dogma tueatur, quod istis articulis repugnet, integros ab ipso articulos negari verissimè dicemus. Num verò doceat, potéstne, obsecro, dubium esse? Quis enim negat Iesum esse Christum, nisi qui hunc Iesum, Dei Mariæque filium, sic à spiritu sancto vnctum esse negat, vt sit solus ecclesiæ suæ sacerdos, rex, propheta? Qui ergo aut sacerdotes alios, aut reges, aut prophetas constituūt, quod pontifex Romanus, suiq; factitant, hi quicquid verbis simulant, verè tamen Iesum esse

Christum

Christum negant. Et quid est venisse in carne Christum negare, nisi beneficia, quæ nobis ex aduentu suo attulit, & quorum causa venit, non ab illo vno expectare? Cur autem venire Christus, & indui nostram carnem voluit? vt plenam nobis morte sua vitam salutémque afferret, vt quisquis in illum crederet, non periret, sed æternam vitam haberet. Ita Christus carnem assumpsit, vt mori posset, illaque morte & peccata nostra expiaret, & veram nobis, sanamq; iustitiam conciliaret. Quisquis ergo non spem salutis omnem in Christo toto collocat, & iustitiam sibi aliam fingit, quàm Christi obedientiam imputatam, & fide apprehensam, is venisse in carne Christum quantum volet fateatur, perinde tamen est, ac si nondum venisse Christum, nec mortem pro nobis obijsse, nec eorum quicquam quorum gratiâ venit, perfecisse palam affirmaret. Cyprianus ait, *Non credit in Deum, qui non in eo solo collocat totius felicitatis suæ fiduciam.* Nō enim quid dicatur spectandum est, sed quid eos dicere consentaneum sit, qui Christi iustitiâ non contenti, alias iustitiæ vias & rationes inuenerunt. Nam si nobis Christi iustitia sufficit, & necesse non est aliam desiderare, quis tum locus reliquus est humanis meritis, quid indulgentiæ pontificię valent, quid Missæ sacrificio opus est, quid alia infinita expetuntur, in quibus iustitiæ & salutis suæ pontificij partem magnam sitam esse iudicant, vt iustos fieri & salutem consequi, illorum opinione, sit illis rebus certo quodam

Cypr. de dupl. Martyr.

fitetur, eósque omnes damnat, qui illud negant,
tamen ea palàm & publicè docet, ex quibus certissimè euinci possit, si vera sint, Iesum nec esse Christum, nec in carne venisse. Quis verò non ab eo Iesum esse Christum negari sentiat, cuius perpetua doctrina constansque professio Iesum non esse Christum patiatur? aut quis in carne venisse Christũ ab eo negari dubitet, qui huius aduentus atque ἐνσαρκώσεως causas tollit? Iudæi Deum conditorem verbis confitentur; quia tamen Christum repudiant, sine quo Deus ignoratur, nec Deum vllum agnoscunt, etsi Deum veteris testamenti authorem inuocant. Arius Christũ esse Deum nõ negauit, sed quia Ch
Patri inæqualem fecit, Christi diuinit
cõsequens sustulit. Quid alijs exempl
Ex his perspicuum est, qui consequ
rium negat, etsi principiũ verbo p
destruit: quod & philosophi, & T
nes verum esse intelligunt.

Iam ergo si pontifex eiusmodi
tur, quod istis articulis repugnet,
ipso articulos negari verissimè dicen
verò doceat, pateéstne, obsecro, dubi
Quis enim negat Iesum esse Christum, ni
hunc Iesum, Dei Mariæque filium, sic à spiritu sancto vnctum esse negat, vt sit solus ecclesiæ suæ sacerdos, rex, propheta? Qui ergo aut sacerdotes alios, aut reges, aut prophetas constituũt, quod pontifex Romanus, suiq; factitant, hi quicquid verbis simulant, verè tamen Iesum esse Christum

Christum negant. Et quid est venisse in carne Christum negare, nisi beneficia, quæ nobis ex aduentu suo attulit, & quorum causa venit, non ab illo vno expectare? Cur autem venire Christus, & indui nostram carnem voluit? vt plenam nobis morte sua vitam salutémque afferret, vt quisquis in illum crederet, non periret, sed æternam vitam haberet. Ita Christus carnem assumpsit, vt mori posset, illaque morte & peccata nostra expiaret, & veram nobis, sanamq; iustitiam conciliaret. Quisquis ergo non spem salutis omnem in Christo toto collocat, & iustitiam sibi aliam fingit, quàm Christi obedientiam im-
[illegible]tam, & fide apprehensam, is venisse in car-
[illegible]tum quantum volet fateatur, perinde
[illegible]esi nondum venisse Christum, nec
[illegible]obis obijsse, nec totum quicquam
[illegible] venit, perfecisse palam affirma-
[illegible] ait, *Non credit in Deum, qui non*
[illegible]r totius felicitatis suæ fiduciam. Nō *Cypr. de dupl. Martyr.*
[illegible]tur spectandum est, sed quid eos
[illegible]taneum sit, qui Christi iustitiā non
[illegible]ias iustitiæ vias & rationes inuene-
[illegible] si nobis Christi iustitia sufficit, & ne-
[illegible] non est aliam desiderare, quis tum locus reliquus est humanis meritis, quid indulgentiæ pontificię valent, quid Missæ sacrificio opus est, quid alia infinita expetuntur, in quibus iustitiæ & salutis suæ pontificij partem magnam sitam esse iudicant, vt iustos fieri & salutem consequi, illorum opinione, sit illis rebus certo quodam

modo defungi? Quod si ita est, nõ venit in carne Christus, nec salutem nostram adhuc satis procurauit, & nos ipsi nobis vitæ & salutis authores esse debemus. Et quis ignorat quam multa sint, ex quibus sibi pontificij remissionem peccatorum, & vitam sempiternam pollicentur? eiusmodi sunt pænitentiæ sacramentum, contriti cordis sacrificium, eleemosynę, offensarum & iniuriarum remissio, abundantia charitatis, aquæ lustralis aspersio, deuota pectoris tunsio, confessio, flagellorum tolerantia, peregrinatio, bonorum operum genera multa, & quod nuper non puduit nouos Theologos Remenses

In annot. 10 cap. Mat. vers. 12. scribere, *Episcopalis benedictio*. Nam Christi mors non communia, & quotidiana peccata delet, sed tantùm in Originali valet: cætera, quæ cõsequũtur, Missæ sacrificio indigent. Sic Thomas

Thom. de sacrament. Altaris. Scholasticorum Deus, *Sicut*, inquit, *corpus domini semel oblatum est in cruce pro debito Originali sic offertur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari*. Sic Catharinus scribit, Christi passionē

Catharin. in lib. impresso Romæ. pro *Originali tantùm peccato satisfecisse*, & actualibus Baptismum antecedentibus: Missam verò satisfacere pro *peccatis Baptismum, & primam iustificationem sequentibus*.

Hæc sunt ecclesiæ pontificiæ decreta, in quibus mortis Christi vim & efficacitatem ad alias causas transferunt, & planè sine inuolucris atque ambagibus venisse in carne Christum negant, quantumuis innumeras sophismatum præstigias, quibus suam blasphemiam defendant, excogitarint.

gitarint. Nos verò integram salutem nostram Act. 4. 12.
Christo vindicamus, nec in vllo preterea vel nomine, vel re aliquid omnino inesse credimus, quod vel minimam salutis partem aut incrementum nobis afferat. Nam fides non est causa salutis nostræ, sed instrumentum à spiritu sancto nobis datum, quo Christum complectamur, atque eius morte vberrimos fructus capiamus. Et quidem necessariam esse fidem docemus, ijs, qui Christi sanguine emundantur, non vt vi fidei iustitiam mereantur, sed quia Christum, qui nostra est omnis iustitia, fide tanquam manu prehendere, & tenere debent, vos fidem & fidei fructus, causas iustitiæ rectas & proprias facitis, quod est Christi sanguinem proculcare, à quo omnis & vniuersa iustitia nostra deriuatur. Opera verò semper cum fide coniuncta esse, atq; ex fide necessariò manare dicimus, vt qui fide præditus est, & qui Christum ad iustitiam, vitámque amplectitur, operibus bonis abundet, spiritu ambulet, carnem crucifigat, charitatis munera expleat, fidem operibus comprobet, legi diuinæ obtemperet. Sunt hæc fidei veræ effecta, & indicia, non causæ salutis ac iustitiæ. Quare vt paucis tibi ad hoc tuum argumentum, cui tantopere confidis, respondeam, Quanquam pontifex Romanus & corde credit, & ore cõfitetur Iesum esse Christum, hoc tamen non integrè ac simpliciter, sed ex parte tantùm facit, dum Iesu multa detrahit, quæ Christo cõueniunt: & Christum negat in carne venisse, non quidem totidẽ

verbis, atque apertè, sed per consequens & obliquè, verè tamen & necessariò. Iam si tu potes pontificem non esse Antichristum concludere, quia hæc verbis confitetur, multò mihi licebit æquiùs, quia eadem illa sensu, & re negat, esse Antichristum pronunciare.

De impietate Antichristi seipsum asserentis esse Christum: & vndecima Demonstratio, quod Papa, qui nihil tale de se dicit, imo contrarium vbique profitetur, non sit Antichristus.

N. SANDERVS.

PARVM sibi fecisse Antichristus videtur, si tantùm neget, Iesum esse Christum, aut carnem de Maria virgine accepisse: nisi etiam seipsum in Christi locum surroget, ac dicat ipse de se, Ego sum Christus. *Quod enim alij multi Pseudoprophetæ (vt Simon Magus, Menander, Manes, & alij aliquot) non satis fæliciter conati sunt facere, vt seipsos secundum Christi prædictionem vocarent Christum, & Messiam: hoc Antichristus in se ita suscipiet, vt non diffidat, se egregium aliquod facinus ex eare perpetraturũ. Persuadebit enim Iudæis, se Christum esse, quemadmodum Christus ipse dicebat:* Si alius venerit in nomine meo illum recipietis. *Quare Irenæus Antichristũ ait tentaturum* vt seipsum ostendat esse Christum. *Et Ambrosius:* Antichristus (*inquit*) ex scripturis disputabit se esse Christum. Et sciens (*inquit*) Satanas, venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius (*id est Christi Domini*) sibi vsurpabit, & vt regnum eius verum videatur, attrahet secum, qui simul cum eo pereant. Seipsum (*vt ait ibidem Theodoretus*) Christum nominabit. *Hæc faciet Antichristus. Verùm nemo Pontificum Romanorum dixit vnquam se Christum ipsum, aut liberatorem humani generis esse, nemo illorum, id ex scripturis probare conatus est: Papa igitur non est Antichristus.*

Mat. 24.

Ioan. 5.

Lib. 5. in cap. 21. Luc. In 2. Thes. 2

Gulielmus

Guilielmus Whitakerus.

XI.

VT Christi sibi nomen ipsum sumat Antichristus, id suspicione tua fingis, nulla scripturę authoritate demonstras. Quod sit enim Antichristi futurum nomen, nondum vobis, opinor, constat. Quæro enim, Sandere, num fore censeas, vt se Christum Antichristus tanquam suo, proprióque nomine appellet, an Christi tantùm munus, ac dignitatem ad se rapiat. Si id illi certum, propriúmque nomen fore statuis, doce quemadmodum hoc nomen cum illo numero conueniat, cuius Ioannes meminit in Apocalypsi, quémque in nomine ipso Antichristi inustum fore existimatis. Sed id nullus, credo, sapiens iudicarit, sic futurum hoc nomen proprium Antichristo, vt cætera nomina sunt, quæ singulis hominibus tribuuntur. Sin illud vis, Christi officium & partes sibi sumpturum Antichristum, valdè quidem assentior. Sic enim non erit nobis necessarium vt longè abeamus, aut incertos, nescio quos, Antichristos post nõnulla sæcula expectemus: hunc Antichristum, qui se hoc modo Christum esse dicat, Romæ inueniemus. Nam quin se pontifex Christum faciat; cui dubium esse possit, qui vel doctrinam, vel morem pontificium norit? Vicariũ Christi se palàm vocat, in quo sibi Christi absentis authoritatem vendicat: caput, sponsum, episcopũ vniuersalem ecclesiæ se esse gloriatur, quod non

nisi ad vnum Christum pertinet: cóscientijs omnium hominum leges præscribit, quod solus Christus facere potest: peccata simul, & pœnas viuis, mortuisque hominibus remittit, quod Christus sibi reseruauit; dogmata ad salutem necessaria ecclesiæ suæ obtrudit, cum Christus vnicus sit ecclesiæ magister, & propheta, cumque solum audiri pater iusserit, qui est via, vita, & veritas, veræque oues eius vocem audiunt, & illum vnum sequuntur. *Quod Christus debeat solus audiri* (inquit Cyprianus) *pater de cœlo testatur dicens, Hic est Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite.* Pontifex tamen & noua, & aliena, & scripturis contraria populis proponit: Quemuis potest in Diuorum numerum referre, & cælesti ciuitate donare, atque adeo Angelis ipsis imperare, vt animas certorum hominum, ex purgatorio ad ipsius nutum in cœlũ reportent: at hoc tantum opus est, vt id qui præstare potest, Christus meritò, aut saltem par Christo iudicetur.

Mat.17.5.

Cyprian. epist. lib.2. epist.3.

Quid alia desideremus? His verbis pontifex à suis salutatur, Tu es sacerdos, & magnus, & pontifex summus, tu princeps episcoporum, & hæres Apostolorum, in primatu Abel, gubernatu Arca Nohæ, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, authoritate Moses, iudicatu Samuel, zelo Helias, mansuetudine Dauid, potestate Petrus, *vnctione Christus.* Præclarè: quid iam restat, nisi illud postremum, quod ad illa superiora necessariò addendum est,

Tu

Tu es officio Antichristus. Qui enim præter Christum sacerdos magnus, pontifex summus, princeps episcoporum, ordine Melchisdec, vnctione Christus esse vult, is est ipsissimus Antichristus. Patres hoc loco tuos, Sandere, prætermitto: quia quæ dicunt minimè reprehendo. Iam qui volet, de tua Demonstratione iudicet, *Antichristus seipsum asseret esse Christum: Pontifex Romanus non asserit seipsum esse Christum, ergo non est Antichristus:* Fallacia est multiplex, vel ὁμωνυμίας, vel τοῦ κατά τι ὡς ἁπλῶς λεγομένου, vel παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Sic tu soles Demonstrare.

Demonstratio duodecima, quòd Papa, qui mori se, & resurgere non simulat: (sicut Antichristus faciet) minimè sit Antichristus.

NON verbo tantùm dicet Antichristus, Messiam se esse, verùm etiam simulabit se propria Messiæ opera facere, & Prophetarum scripturas, quæ de Messia extant, implere. Cùmque in omnibus veteris Testamenti scripturis mors Christi, & resurrectio prædicta sit: Antichristus vt se verum esse Messiam ex operibus ipsis demonstret, mori se finget, & resurgere. Vnde Ioannes in Apocalypsi ait: Vidi vnum de capitibus bestiæ quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Bestia (*inquit Augustinus*) ipsa impia ciuitas intelligitur, & populus infidelium contrarius populo fideli, ac ciuitati Dei. *Vnum ergo seu primum de capitibus bestiæ, optimè intelligitur ipse Antichristus: qui narratur* quasi occisus, *propterea quod non verè, sed simulatè morietur*. *Iam verò*, plaga mortis eius curata dicitur, *quia fictæ resurrectionis medicina ficta mortis vulnus curabit. Hinc non temerè*

N. SANDERVS. Luc. 24. Apoc. 3. De ciui. Dei lib. 20. cap. 9.

scripsit S. Gregorius, Antichristum simulaturum se mori & resurgere, *& in suæ resurrectionis honorem, facturum*, vt dies Dominicus in veneratione habeatur. *Beda etiam in eundē Apocalypsis locum ita scribit:* Antichristus ad capita regni terreni pertinens, imitatione veri capitis nostri se quasi occisum resurrexisse, & pro Christo qui hoc verè perfecit, suscipiendum audet exhibere. *Idipsum Haymo ibidem affirmat. Quæ interpretatio nec Aretæ quidem Cæsareæ in Cappadocia Episcopo displicet, etiamsi minus constanter eam proponat. Certè nec affert vllam interpretationem probabiliorem, & ista ipsa confirmatur ex eo, quod mox adiungitur:* Admirata est vniuersa terra post bestiam, dicentes, Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum bestia? *Opinio eius resurrectionis Antichristi rapiet homines in stuporem tam vehementem, vt frustra cum illo pugnaturi videantur, qui non solum alia sua vulnera, verùmetiam* ipsius mortis plagam curare potest. *Nunquam verò simulauit quispiam Romanorum Pontificum se mori, & resurgere: Nemo igitur Pontificum Romanorum est Antichristus.*

Lib. 11. indict. 6. Epist 3.

Guilielmus Whitakerus.

XII. Nihil tam ineptum fingi potest, tam que ab omni sensu alienum, quod non Sandero nostro ad Demonstrationem satisfaciat. Quando enim id sibi proposuit, vt certum numerum demonstrationum expleret, nihil repudiare voluit, quod speciem argumenti præbere quouis modo videretur. Multa hactenus de Antichristo falsa somniauit, ex quibus similes demōstrationes confecit, & deinceps plura adferet, quæ neque euenerant vnquam, neque euenient, & tantùm obscuris humani ingenij coniecturis nituntur: nihil autem omnium magis

magis absurdum & ridiculum videtur, quàm hoc ipsum, quod in ista demonstratione posuit. Fore enim vt Antichristus, se mori, & resurgere simulet, omni probabilitate caret. Quomodo enim id efficiet, vt mortem simulet, & se dum viuit, mortuum esse suis persuadeat. Et quodnam erit hoc mortis genus, violentum ne, an voluntarium? quandiu autem mors hæc simulata durabit, & quæ ratio erit resurgendi? Quãdo has nobis circumstantias explanaueris, vt te non iocari, sed seriò disputare intelligamus, aliud responsum accipies. Interim non puto mihi necessarium de tuis commentis magnopere laborare. Demonstratio eiusmodi est, *Antichristus mori se & resurgere simulabit: Id pontifex Romanus nunquam fecit, Non est igitur Antichristus.* Falsum est, Sandere, quod primo loco proponitur: non enim docere potes ea simulatione vsurum Antichristum, quæ circumforaneo præstigiatori multò magis, quàm Antichristo conueniat. Nihil Antichristus tentabit huiusmodi, quale fingis.

Nam quod de capite Bestiæ occiso narras ex Apocalypsi, ineptissimè ad hanc causam adhibetur. Quæ enim erit illa bestia, cuius vnũ caput sit Antichristus? Bestiã non potes Diabolum interpretari, quem Ioannes in Apocalypsi Dracon͞e non bestiam vocat. Et cuius tum bestiæ caput fuerit, quæ plura præterea capita habeat? si verò illa bestia Antichristus est, quid de altera tandem statuis, cuius deinceps Ioannes meminit? *Apoc.* 13.3.

vtraque non erit Antichristus: at posteriorem esse Antichristum omnes confitentur: prior igitur esse Antichristus non potest. Postquam euigilas somnium fuisse senties. Nam caput illud bestiæ est Romanum imperium antiquum, quod pontifex instaurauit. Atque hoc eiusmodi fuit, quòd deletam Romæ imperij faciem pótifex renouauit, vt, omnibus admirabile meritò videretur. Et quis vnquam futurum credidisset, vt Romam Cęsares amitterent, pontificulus occuparet? Roma tum armis ac vi gẽtibus imperauit, pòst superstitione, & religionis opinione cunctos populos tenuit. Ita vetus idololatricũ illud imperium, quod capite *quasi occiso* significatur, pontifex Romanus restituit, eoque modo *plagam* ipsius curauit. Gregorius, Beda, Haymo futura vt prophetæ prædicere non potuerũt. Aretas pro te nihil disertè affirmat. Ergo quanquam pontifex id nunquam in se suscepit, aut suscipiet, vt mori & resurgere videatur, est tamẽ Antichristus: nisi fortè hoc volumus de pontificum successione intelligere, qua indies ferè & moriuntur, & renascuntur.

De intolerabili superbia & blasphemia Antichristi extollentis se supra omnem Deum, & decimatertia Demonstratio, quòd Papa, qui se non extollit supra Deum verum non sit Antichristus.

Impius



MPIUS cum venerit in profundum peccatorũ, contemnet, ait Salomon. Et quis magis impius, quàm Antichristus? Is igitur cum & Iesum negauerit esse Christum, & seipsum dixerit Messiam verum esse, eámque rē Iudæis probari, suámque doctrinam recipi viderit: prorsus non homines tantùm, sed etiam Deum contemnet, séque ipsum (vt Apostolus ait) extollet supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Quanquam enim verus Messias & Christus haberi vult, non tamen Christi humilitatem imitabitur. Nam Christus venit in nomine patris sui, velut à Patre missus, quem se maiorem esse, tùm ob naturam assumptæ carnis, tum ob rationem originis, quia genitus est à Patre, semper & vbique agnouit. Verùm Antichristus venit in suo ipsius nomine, hoc est, nullum agnoscit principium, à quo generatus sit, nullum Deum, à quo in carnem sit missus. Verùm (vt Chrysostomus ait) omnem sibi potestatē tyrannicè vindicabit, se omnium Deum profitebitur, se maximũ Deorum esse gloriabitur. Quod ipsum Haymo animaduertens, rectè dixit: quòd Antichristus supra sanctam trinitatem se extollet. Non enim agnoscet saltem Deum patrem supra se, in cuius nomine veniat, sed seipsum appellabit principium ingenitum, quod aliunde non sit. Ob hanc blasphemiam Daniel vocat Antichristum, impudentem facie, qui contra principem principum consurget: & aduersus Deum (inquit) loquetur magnifica. Et in Apocalypsi appellatur meretrix magna, plena nominibus blasphemiæ, mater illa fornicationum, & abhominationum terræ: adeo vt Chrysostomus, & eum secutus Theodoretus dicant, nec ipsum Neronem tam perfricta fronte, & impudenter egisse, quàm acturus est Antichristus: Itaque Neronis persecutionem vocatam esse mysterium iniquitatis, aduentum verò Antichristi dictum esse reuelationem: quia iste suam impudentiam non conabitur tegere, aut occultare. Perspicuum verò est, pontifices Romanos nihil tale de seipsis docere, aut sentire, imò passim se agnoscunt, indignos illo ministerio, quod illis à Christo impositum sustinent, peccata presbyteris, & consessuis suis confite-

N. SANDERVS. Pro. 18. | 2. Thes. 2. | Ioan. 5. | Ioan. 14. | Homil. 40. in Ioan. | In 2. Thes. 2. | Daniel. 8. cap. 11. | Apoc. 17. | In. 2. Thes. 2. | Papa non se extollit supra Deum.

tur, velut Christi ministris, & in eo sese hominibus subijciunt, tantum ab eo absunt, vt se extollant supra Deum ipsum, aut supra sanctissimam Trinitatem. Quid in hac re tam clara & manifesta habent Protestantes, quod dicant, aut obtrudant.

Guilielmus Whitakerus.

XIII. DE Antichristi superbia, quam immanem atque incredibilem fore Paulus præmonuit, dicere nunc Sanderus aggreditur, quæ illi ad pontificis causam, & Demonstrationem apta videbantur. Et dici sanè multa possunt, multóque plura, quàm ista sunt, quę dicenda sibi Sanderus hoc loco iudicauit. Nescio enim quo pacto timidus hîc, & parum vehemens videtur, quod illi necessarium fuit, quãdo pontificis sui superbiam intolerandam cogitauit, quæ tanta fuit multis iam seculis, quantam nulli vnquam Antichristi superabunt. Quæ enim fingi maior superbia potuit, quàm ea est, qua vsum esse Romanum pontificem & historiæ omnes testantur, & quotidiana experientia comprobauit, vt verissimum esse intelligamus, quod ex Solomone Sanderus vsurpauit, *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnet*. Id enim in pontifice euenisse res ipsa clamat, qui paulatim ad tantam insolentiæ, superbiæque magnitudinem peruenit, vt nullum nunc vel Deum, vel hominem pertimescat, & sibi securus in sinu blandiatur, & scripturas rideat, & leges omnes contemnat. Testis esse

potest

potest illa vox Leonis Decimi, quem tamen si cum cæteris conferas, modestum Papam fuisse censeas, quam apud Bembum dicitur habuisse, qui cum illi nonnihil è sacris literis recitasset, idque molestius bonus Papa tulisset; *Quid*, inquit, *mihi narras illam de Christo fabulam?* Et quidem plerique pontifices sic fuerunt in profundissimum perfidiæ gurgitem demersi, vt omnium Atheorum desperatissimi euaserint. Ipsæ loquantur historiæ, quæ non fictæ à Lutheranis, sed à pontificijs conscriptæ prodierunt, & legi à quouis possunt.

Quanquam autē pontifex Christi Vicarius esse vult, non tamen, vt tuis, Sandere, verbis vtar, Christi humilitatem imitatur. Non enim solitus Christus est, aut pedem in regum ceruicibus ponere, aut sublimis in humeris nobilium hominum equitare, aut pedis digitum imperatoribus osculandum præbere, aut huiusmodi vllam superbiam pontificiam exercere. Ex quo quantum à Christi humilitate, quæ non debuit à Christi Vicario esse aliena, pontificis inusitata superbia distat, satis animaduerti potest, vt planè constet hunc superbum, & plusquam humana arrogantia, & ambitione elatum Pontificem non Petri successorem, non Christi vicarium, sed Satanæ filium, sed ipsum esse Antichristum. Quid ante annos quingentos ad Nicolaum primum pontificem Coloniensis & Treuirensis Archiepiscopus scripserit libet commemorare. Sic illum alloquuntur:

Auentinus lib. 4. annalium.

Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas: sub habitu & cultu pastoris lupum sentimus, titulus parentem mentitur: tute factis Iouem ostentas: cum sis seruus seruorum, Dominum dominorum esse contendis: iuxta disciplinam Christi seruatoris nostri infimus es omnium ministrorum templi Dei, tu verò libidine dominãdi in præcipitabis, quicquid tibi libet licet: fucus factus es Christianis. Et quis non veram hanc fuisse querelam fateatur? tamen quę secuta sunt tempora erant longè deteriora, vt nihil tandem addi ad illam pontificiam immanitatem posset.

Ad te nunc redeo, Sandere, & quæ hic de Antichristi superbia disputas, agnosco. *Sese enim efferet*, vt Paulus inquit, *Supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*: Et quæ patres de hac ipsa re scripserunt, vera esse in genere fateor. Sed hæc quomodo tandẽ à tuo põtifice remouebis? Si enim is sit Antichristus, quo nullus vnquam homo superbior fuit, superbiorem pontifice Romano nullum certè nominabis, nec vllum igitur Antichristi nomine digniorem reperies. Demõstrationem sic instituis, *Antichristus sese extollet supra Deum ipsum, pontifex Romanus ab hac superbia, & blasphemia alienus est, non est igitur Antichristus*. Nego, Sandere, Assumptionem: & pontificem se supra Deum verum efferre defendo. Vt tu, quod instituisti, doceas expecto. Sunt autem argumenta hoc loco duo, quibus pontificis superbiam non esse tantam demonstras, quanta Antichristum præditum esse oportet.

2. Thes. 2. 4.

tet. *Primum enim*, inquis, *pontifices passim agnoscunt se indignos eo ministerio, quod illi sibi à Christo impositum sustinent*. Christus, Sandere, nihil eorum pontifici tuo imposuit, quæ ipse sibi fraude, atque iniurijs comparauit. Reliquit ecclesiæ quidem suæ Christus Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, vt opus ministerij explerent, & Christi corpus ædificarent: pontificem summum, qui Romæ regnaret, Monarchiam administraret, nullam ministerij cuiusquam partem sustineret, nullum instituit. Quid enim Papa facit, vnde ministrum se esse probet, aut quid omnino debere se facere existimat, quod non summum totius ecclesiæ Dominum deceat? Si hoc ministerium sit, quid imperium esse possit, non intelligo. Id enim res ipsa ostendit, nullum vnquam imperium magis liberum, & omni conditione legum solutum fuisse. Nam & regit ad libitum, & nemo ei potest dicere, cur ita facis? & infinita potestate abundat, omnésque leges superat, quemadmodum in iure Canonico præscribitur, & à Iohanne Capistrano in illo libro, quem de Papæ & concilij siue ecclesiæ authoritate edidit, copiosè disseritur. Hoccine est ministrare? sic Christus, sic Petrus, sic antiqui pontifices Romani ministrarunt? Perdas Christe superbum Antichristum, qui dum cunctis mortalibus imperiosissimè dominatur, se tamen tuum esse ministrum impudentissimè mentitur. At indignos se agnoscunt, ait Sanderus, *illo ministerio*. Magnum hoc scilicet

Eph. 4.11.

Lege Capistranum. Pag. 130.

est, & præclarum humilitatis argumentum, dicere se indignum. Non est molestũ pontifici indignitatem verbo profiteri, dummodo & fallat omnes, & suis interim commodis fruatur. Quis vnquam ita superbus fuit, vt nullum posset humilitatis signum simulare?

Sed aliud est argumentum, quo humilem esse pontificem Sanderus euincit. Etenim *peccata presbyteris confitetur, velut Christi ministris*. Nugari & senem, & theologum, in re seria, nõ decet. Si Antichristus, vt tu antea statuebas, circumcidetur, & Sabbata colet, vt religiosus videatur, & tamen se supra Deũ efferet, quid ni possit pontifex & peccata ex more confiteri, & tamen nihil interim ex insita superbia remittere? Hic tu quasi aliquid fecisses, quæris, quid in hac re tam clara & manifesta *dicere aut obtendere* Protestantes possint. De hoc diximus nonnihil aliâs: nunc sufficit capita rerum breuiter attingere. Si quis ergo scire cupiat quemadmodum se pontifex supra Deum efferat, & id incredibile esse arbitretur, vt quisquam homo tantum sibi sumat, meminerit primùm dici quidem pontificem vulgò à suis Deum, non vt principes interdum in scriptura Dij vocantur, sed alio modo longè sublimiore. Non enim quia Magistratus Dij nominantur, proinde quicquid volunt legitimum est: at pontificem sic esse Deum faciunt, vt quia Deo voluntas est pro ratione, nec huius voluntatis causas quærere oportet, propterea pontificis voluntas rationis authoritatem

Lege Capistranum. pag. 130.

authoritatem habeat, & quicquid pontifex vult legitimũ justumq; censeatur. Deinde decretis, factisq; suis se Trinitati anteponit. Cũ enim Deus homini concessit, vt cibis omnibus vesceretur, atque illos ob eam etiam causam condidit, vt cum gratiarum actione sumerentur, cumque coniugium instituit, eoque vti ijs omnibus permisit, qui id sibi ad continentiam, & castitatem necessarium esse sentirent, pontifex contra carnẽ certis diebus prohibet perpetua & necessaria lege, coniugium verò in suis damnat, quod Deus nunquam fecit. Deinde cum Christi redemptioni id tantum pontifex tribuat, vt vel ea peccata tollat, quæ baptismum antecedunt, vel culpam duntaxat, non pœnam remoueat: ipse vtrumque simul præstare potest, quando indulgentias venales exponit. Quod si ita sit, illum esse Christo potentiorem necesse est fateamur. Spiritus verò sanctus à pontifice palam superatur. Quam enim creaturis infinitis sanctitatem Spiritus sanctus tribuere non potuit, aquæ, sali, herbis, campanis, alijsque rebus, eam illæ à põtifice accipiunt, à quo consecrantur, & noua quadam sanctitate donantur. Hæc sunt eiusmodi, vt quando ista sibi pontifex sumit, se Deo, Christo, Spiritu sancto maiorem & diuiniorem faciat, & planè, quod Apostolus præmõstrauit, *supra ipsum Deum sese extollat*.

Martinus papa quintus matrimonium cũ infidelibus cõfistere gratuitamente approbauit.

2. Cor. 2. 2.

Quid rem manifestam persequar? pontificis præcepta multò, quàm Christi acriùs, & seueriùs ecclesijs imponuntur, & Christi leges, quàm

pontificis tutius est contemnere. Quantam verò, quamque infinitam in dispensando, & in priuilegijs conferendis authoritatem exercet? Æternam Dei & naturæ legem, cui homines parêre vniuersos oportuit, pontifex pecunia accepta permittit palàm & impunè violari. Sunt certi gradus, in quibus nullas posse nuptias contrahi, & natura ipsa docuit, & Deus lege lata sanxit. Hanc immortalem legem pontifex semel, iterum, tertiò in clarissimis personis abrogauit. Quod Deus ipse, si loqui, suamque mentem declarare voluisset, nunquam in mortali quoquam tolerasset, id pontifex diplomate suo honestum, sanctum, legitimum esse iudicauit. Et tritum est in foro pontificio posse papam contra epistolas D. Pauli dispensare & statuere.

Martinus papa quintus matrimonium cuiusdam cũ sorore germana approbauit.

1. Cor. 7. 12.

Paulus decreuit, vt si quis maritus fidelis vxorem infidelem haberet, eaque cum suo viro nõ inuita habitaret, eam ne dimitteret: & cur ita facere oporteret, causas necessarias adiũxit, quia huiusmodi matrimonium alterius coniugis fide sanctificatur, & fieri potest, vt infidelem fidelis ad fidem perducat, & quisque debet illum statu tueri, in quo ipsum Dominus vocauit. Hæc omnia pontifex contemnit, & fideli permittit, vt contra hanc Apostoli sententiam, veteres nuptias dirimat, nouas conciliet. Nam quod Apostolus dicit, *Ego dico, non Dominus*, id nihil de legis authoritate ac necessitate detrahit, neque hanc Apostoli sententiam minus diuinam aut perpetuam esse demonstrat. Non enim id significare

nificare voluit, hanc legem esse *ἀδιάφορον*, quemadmodum isti fingunt, sed non, disertis verbis, vt alteram illam, cuius antè meminerat, in scripturis reperiri. Quanquam ad legem hanc stabiliendam id sufficit, quod Paulus ait, *ego dico*, qui & Apostolus Christi fuit, & spiritum Dei habuit. Neque enim minus valent quæ tradiderunt Apostoli, quàm quæ Christus ipse suis verbis docuit. Quare qui sic contra Apostolum *dispensant*, ij contra Christum proculdubio decernunt. Hæc cum ita sint, simulet quantumuis pontifex nonnullam ad tempus humilitatem, seruum se seruorum nominet, indignum illo se ministerio agnoscat, presbyterum confessorem adhibeat, tamen Deo sese anteponit, & esse Antichristus sine omni controuersia demonstratur.

Decimaquarta Demonstratio, quòd Papa non esset Antichristus, etiamsi falsò diceret, se Christi Vicarium esse: quia ne sic quidē supra Christum sese efferret.



N. SANDERVS. In locis cōmunibus, de potestate ministrorū.

VOLFGANGVS *Musculus, præclarum aliquid se excogitasse putauit, cum diceret,* Antichristum esse non modò illum qui aduersatur Christo, verum etiam illum, qui pro Christo ecclesiæ sese obtrudit. Nā vt *ἀντιστράτηγος* (inquit) non is tantùm vocatur, qui duci sese opponit, sed & is, qui pro duce, cum non sit, militibus sese obtrudit, & vēditat, propterea quod præpositio *ἀντὶ* Græcis, & contra, & pro significat, ita & Antichristus est is, qui & aduersarius est, & vicarius Christi.

RESPONSIO.

Si de quocunque Antichristo sermo esset: non diffiterer, quin
is, qui præter ius & fas pro vicario Christi sese obtruderet, An-
tichristus quidam esset. Verùm nunc non quærimus quid præ-
positio ἀντὶ *Græcis, verùm quid illius eximij* Antichristi *voca-*
bulum Christianis & scripturis sacris significet. In scripturis
Antichristus definitur is esse, qui extollitur supra omne
quod dicitur Deus, aut quod colitur. *Talem Antichristum*
negamus Papam esse posse, etiamsi absque authoritate legitima
pro Vicario Christi se gereret, quod tamen eum non facere, in su-
perioribus libris abundè testatum reliqui. Etenim cum Papa
seipsum vocet Vicarium Christi, *& agnoscat, se ab ipso Chri-*
sto missum, & per Petrum Apostolorum Principem, Christi verò
discipulum, quicquid habet authoritatis, accepisse: neque cogi-
tari potest, quomodo talis vicarius efferret se supra ipsum Chri-
Ioan. 13. *stum, à quo se missum profitetur. Veritas enim ipsa dicit,* non
esse apostolum seu legatum maiorem eo, qui misit illum.
Cum ergo Antichristus secundùm scripturas efferatur supra
Psal. 44. omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, *atque ideo etiã*
Ioan. 14. *efferatur supra Iesum Christum, qui Deus vtique dicitur tam in*
Rom. 9. *scripturis sacris, quam in corde & ore fidelium: Papa verò non*
Gal. 1. *extollatur supra Christum (quem credit & confitetur Deo Pa-*
Heb. 1. *tri consubstantialem esse, ab eóque suam potestatem se habere*
agnoscit) & hæc omnia sint tam manifesta & certa, vt nec ad-
uersarij quidem ea ignorent: certè Papa hæc sentiens, & asse-
rens non posset Antichristus esse, tametsi verè non esset Chri-
sti Vicarius. Aliud enim est quoquo modo mentiri, quod ta-
men Papa non facit, & aliud insignem illum mendacem es-
se, de quo Ioannes ait: Quis est ille mendax, nisi qui ne-
gat Iesum esse Christum? *Qui verò se nominat Vicarium*
alicuius, eo ipso agnoscit, illum seipso maiorem esse, in eo mune-
re, quod vice illius exercet.

Guilielmus.

Guilielmus Whitakerus.

XIIII.

HAnc Demonstrationẽ Wolfgango Musculo acceptam Sãderus referat oportet. Scripsit vir ille doctissimus ἀντίχριστον eũ dici, non modò qui Christo aduersetur, quod facere tamẽ Antichristũ est necesse, sed qui etiam se pro Christi vicario, & tanquam altero Christo venditet, quod palam pontifex Romanus facit: ex quo intelligi potest, cum & Christo pontifex resistat, & eius vicarius haberi velit, Antichristi nomine verissimè appellari. ἀντὶ enim Græcis significat *vice*, aut *loco*, vt apud Demosthenem, ἀντὶ πολλῶν χρημάτων: & Archelaum Matthæus ait regnasse in Iudæa ἀντὶ Ἡρῴδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Et Apostolus ad Hebræos de Christo scribit, ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρόν: & post de Esau, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια. Et eandem vim in componendis vocabulis plerunque retinet, vt quanquam oppositionem contrariamq; relationẽ significat, tamen vicariam quandam rationem simul indicet. Exempla multa sunt, in quibus, quod dico, manifestũ est. ἀντίθεος dicitur, non modò qui Deo repugnat, sed qui etiam Diuinus est, vt instar cuiusdam Dei esse videatur. ἀντίχειρ, pollex à Græcis nominatur, quia & manui quodammodo ex aduerso respondet, & tanquam alterius manus vicem obtinet. ἀντιψάλλειν est vicibus alternis canere, quemadmodum in ecclesijs solet: Et, quod

Matt. 2.

verbum Musculus proposuit, *ἀντιστράτηγον* cum
Græci vocant, non tantum qui legitimo, veroq;
duci aduersatur, sed qui locum ducis occupat, &
se in exercitu pro duce gerit, quid tu hic, San-
dere, reprehendis? *verum non quærimus*, inquit,
*quid præpositio ἀντὶ Græcis, sed quid Antichristi vo-
cabulum Christianis significet, is autem in scripturis
definitur, qui extollitur supra omne, quod dicitur
Deus, aut quod colitur.* Quasi id non ipse Mus-
culus viderit, & agnouerit: cum in scripturis di-
serte ὁ *ἀντικείμενος* dicatur. Sed quid quæso im-
pedit, Sandere, quo minus qui aduersarius est,
is etiam Vicarius videatur? Nonne Christus di-
Mat. 24.5. xit, *Multi venient in nomine meo, dicentes, ego
sum Christus*, quos tamen eius hostes esse, quem
simulant, nulli dubium est? Quare quod Mus-
culus excogitauit, refelli non potest, & *ἀντίχριστος*,
si vim verbi expendamus, non tantum Christi
aduersarium, sed eum etiam designat, qui locũ
Christi in ecclesia inuadit, eiúsque se personam
sustinere iactat. Quod quia pontifex vtrumque
facit, hunc meritò dicas Antichristum. Verum
hic Demonstrationem, Sandere, expecto. Quid
enim si Musculus errauit in verbo? Ideo ponti-
fex non erit Antichristus? Hæc quidem à te re-
missius, ac dissolutius disputantur, & cum om-
nia circumspicio, Demonstrationem nullam vi-
deo: & vel hæc est, vel nulla est: *Qui se Christi
Apostolum, & legatum, & vicarium profitetur, is
non potest se supra Christum efferre. Pontifex id
profitetur: non ergo potest se efferre supra Christũ,*

quod

quod facere Antichristũ oportet: & per consequẽs non est Antichristus. Quis non obstupescat, & Sandero nostro tam mirificè Demonstranti assurgat? Scitè quidam de Asino dixit, similes habent labra lactucas: & hę Demonstrationes pótifice nostro dignæ sunt, eiusque labris tanquam similes lactucæ præclarè conueniunt. Primum enim, qui profitetur se Christi vicarium, plus sibi sumere potest, quàm, Christus sumpsit: sunt enim multi insolentes vicarij, qui legitima authoritate contenti esse nolunt: Deinde pontifex Christi vicarius non est, & quando se vicarium vocat, egregiè mentitur. Itaq; quod ex his cõcluditur, elumbe sit, & eneruatum est necesse. Iam potes, Sandere, ad reliquas Demonstrationes progredi.

Apoc. 13.

Papa non contemnit maiores suos.

De Antichristo supra maiores suos, imò supra Sanctos ipsos, & Ecclesiam vniuersalem sese efferẽte, & Decimaquinta Demonstratio, quòd Papa, qui hoc idem non facit, minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS.



VI animaduertit Apostolum docuisse, quòd Antichristus extollit se supra omnẽ Deũ, & omne quod colitur: *facilè vides, eundem etiam sese efferre supra maiores suos, supra Sanctos, & supra vniuersalem Ecclesiã, quæ certè maior ipso Deo esse non potest. Et hoc videtur esse quod Daniel dixit:* Deum patrum suorum non reputabit. *Hoc enim tam alienum fuit ab Antiocho Epiphane, Iouem non secùs, ac fecerant Patres eius, adorauit: vt necesse sit ad solum Antichristum istud verbum pertinere.*

Daniel. 11.

Antichristus igitur cum fuerit reuelatus, nullam habebit vllam rationem maiorum suorum, aut Ecclesiæ, quæ ipsius ætatem antecessit: verùm vt in Apocalypsi dicitur: blasphemabit tabernaculum Dei, & eos qui in cœlo habitant: Deum verò, quem ignorauerunt patres, colet, & Deum Maozim (vt testatur Daniel) in loco suo venerabitur. Seipsum enim tanquam Deum fortissimum venerabitur in eo loco, quem in sui nominis honorem eriget, quécunque à se cognominabit. Antichristus ergo nihili ducet quamcunque religionem, quæ ab ipso excogitata non sit: cæterùm in Papa nihil tale notari potest. Imò si qua sedes, aut Ecclesia vnquã in pretio habuit Maiores suos, & vestigia eorum secuta est: illa sine controuersia Romanæ sedis, & Ecclesiæ propria est gloria: adeo vt Pontifices Romani passim scribant in suis literis prædecessorum nostrorum vestigijs insistentes. Et certè licet credamus, in re dubia maiorem esse Petri à Domino stabilitæ ac summi pastoris (pro cuius fide Christus orauit, quémque fratres suos confirmare iussit) authoritatem & priuilegium, quam sit reliquæ militantis ecclesiæ, quæ saltem recuset eidem Summo Pastori obedire: tamen adeò non licet vlli Romano Pontifici Maiorum suorum legitima decreta, in articulis fidei, aut naturæ præceptis declarandis, mutare: vt si quis id palam facere conetur, atque in ea re authoritatem sedis Apostolicæ interponere velit, eo ipso iudicandus sit potestate sua excidisse, tanquam deficiens à fide, & ideo infidelis, cui pertinaciter in errore suo persistenti alius Papa substitui debeat. Multùm quippe interest, verum dicamus, aliquem esse caput Ecclesiæ tãtùm militantis (quod Papæ tribuimus) an verò etiam vniuersalis Ecclesiæ, quæ ab initio mundi, vsque ad finem perseuerat, quod Papæ non damus, sed solius Christi proprium esse credimus. At hoc, & illud sibi vendicat Antichristus. Papa multos sibi agnoscit æquales: Antichristus neminem. Ille numerat antecessores suos, & vacuum successoribus locum relinquit: hic neque Antecessores neq; successores habet. Ille minor est non tantùm Christo, sed etiam Apostolis, & principe Apostolorum, cuius Cathedram se tenere in Domino gloriatur: hic non modò nullos Christi Apostolos, verùm neque Christum aliquem, præter seipsum, confitetur. Quapropter si Papa & Deũ, & Sanctos, & fidem Maiorum suorum necessariò amplectitur (alioqui

Apoc. 13.

Papa non contemnit maiores suos.

(alioqui enim mox desinit esse Papa) cum Antichristus interim ne Deum quidem patrum suorum curet, fidem verò nullam omnino ulli rei deferat: nullo modo fieri potest, vt Papa sit Antichristus.

Guilielmus Whitakerus.

ANtichristi superbiã pergit Sanderus insectari, atq; ex ea plures nobis pro Romano pontifice Demonstrationes fabricari. XV.
Quanquam ineptum architectum meritò iudicemus, qui quicquid ædificare instituit, tam malè constructum relinquit, vt mox in Domini sui caput recidat. Vt se pontifex Romanus supra Deum extollat, demonstratum est: quod ita clarum ac testatum est, vt nihil pontificij habeant, quod tergiuersari possint, nisi planè sic in animum induxerunt, vt nullis vnquam veris assentiãtur. Quod cum ita esse constet, mirum profectò non est, si se & maioribus suis, & sanctis, & vniuersali ecclesiæ anteponat. Nam ista omnia, etsi per se ampla, magnáque sunt, tamen exigua sunt, si cum Deo conferantur, vt qui Deũ ipsum audacia, atque impudentia incredibili contemnit, ab eo hæc minimè curari certissimum sit. Est ne verò obscurum cuiquam, quemadmodũ se pontifex & maioribus suis, & Sanctis, & ipsi Ecclesiæ præferat? Nam qui erant pontificis Maiores? Nonne veteres Romani episcopi, quorum, se successorem nominat, Petrus, Linus, Cletus, Anacletus, Clemens, reliqui: qui etsi no-

strum pontificem, fide, doctrina, virtute superabant, ab eo tamen opibus, delicijs, authoritate vincuntur? Nam primi illi plusquam triginta, tantùm ab imperio pontificio aberant, vt ad supplicium pro Christiana religione traherētur: qui deinceps pace ecclesijs allata secuti sunt, etsi diuitijs & externis commodis crescere, virtutibus minui cœperunt, tamen minimam pontificiæ maiestatis, & illius infinitæ potentiæ, quam pòst pontifices adepti sunt, partem degustarunt. Sanctis verò pontifex maior est, quia & nouos sanctos instituere, & cuiuis sancto aliquid negotij præscribere, & ea facere potest, quę sancti omnes nunquam potuerunt. Etenim omnes illæ animæ, quæ in purgatorio versantur, ad Papę ditionem pertinent, eásque simul vniuersas emittere potest, si vult, & totum purgatorium vno momento exhaurire. Id nulli, credo, sancti possunt: nec sancti peccata ipsi remittunt, sed vt remittantur, petunt: pontifex autem per se potest amplissimam omnium peccatorum remissionem largiri. Et disertè Baldus scribit, *maiorem esse Papæ, quàm omnium sanctorū potestatem*. Quod idem in Concilio Lateranēsi sub Leone decimo confirmatum fuit, his verbis: *In Papa est omnis potestas supra omnes potestates tam cæli quàm terræ*: Si verò pontificem ecclesia vniuersali maiorem esse negas, cùm ratione, & pontificum tuorum decretis pugnas. Quis enim dubitet maiorem esse capitis, quàm corporis dignitatem? at pontifex caput est totius

Ioan. Anglus.

Sessi. 10.

tius ecclesiæ, quemadmodum Marcellus Papa scripsit his verbis: *Rogamus vos dilectissimi, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. Ipse est enim caput totius ecclesiæ.* Si est totius ecclesiæ caput, & tota ecclesia est vniuersalis ecclesia, necessarium est, vt supra vniuersalem ecclesiam efferatur. Atque hoc omnes pontificij constantissimè defendunt: & quando pontificem Concilio generali superiorem esse docent, quod in Florentino, & Tridentino Concilio definitum est, maiorem illi, quàm vniuersis ecclesiæ authoritatem tribuunt. Eiusmodi est, quod Ioannes de Turre Cremata scripsit, *si totus mundus contra Papam sentiret, tamen sententiæ Papæ standum esset.* Ita hic Sanderus maiorem esse dicit Petri, hoc est, Romani pontificis authoritatem, & priuilegium, quàm sit reliquæ militantis ecclesiæ. Ex his fieri non incerta coniectura potest, num sese pontifex supra ecclesiam vniuersalem efferat, quod factum esse Sanderus Antichristum contendit. Itaque hanc Antichristi notam Romano pontifici conuenientissimam esse res ipsa testatur.

Marcell. in epist. ad episc. Antioch.

Ioannes de Turre Cremata lib. 3. cap. 64.

Neque tamen Sandero assentior, vt verba illa Danielis ad Antichristum referantur. Etsi enim non nego typum Antichristi Antiochum fuisse, de quo Daniel multa vaticinia reliquit, tamen quicquid in Antiocho verum fuit, idipsum etiam ad Antichristum accommodare, nulla ratio persuadet. Quod enim Daniel scripsit, *Deū*

patrum suorum non reputabit, id in Antiocho obscurum non fuit, qui religiones omnes contempsit, quemadmodum memoriæ proditum est, quas ipsius maiores coluerunt. Si verò huc ea omnia spectant, quæ ex Daniele atque Apocalypsi adferuntur, vt Antichristum nihili facturum quamcunque religionem doceas, quæ ab ipso non fuerit excogitata, id in tuo pontifice agnosci posse defendo, vt eius rei argumenta minimè sit necesse longè admodum accersere. Christi enim synceram religionem pontifex ne tantilli æstimat, modò ipsius placita & traditiunculæ, in quibus opes & dignitas pontificia versatur, valere possint. Quod ita exploratum est, vt si nos illius Indulgentias, Purgatorium, Primatum, & alia quædam capita fictæ religionis oppugnare desisteremus, propitium habere pontificem possemus. Quod enim quæstum nullum habet, in eo vel nos facilè ab ipso dissentire patitur, vel nobiscum ipse sentit: cum de commodo tam multa detrahimus, ferendi non sumus. Testis est Christus, testis piorum ecclesia, testis ipsius conscientia, tantum ab eo religionis curari, quantum eius ambitioni, otio, auaritiæ inseruiat.

Quæ deinde narras, Sandere, de Romanorum pontificum erga suos maiores obseruantia, nullam responsionem meretur. Est enim quod pontifices Romani maiores suos meritò colant, qui tantam potentiam, aut primi comparârunt, aut ab alijs acceptam posteris

suis

suis reliquerunt. Cum omnes item multo tempore eiusdem ἀποστασίας & regni Antichristiani vindices extiterint, sibi similes esse, & Maiores à posteris laudari non est profectò mirandum. Quod tamen non semper & in omnibus valuisse ex pontificum ipsorum rebus gestis agnoscimus. Nam Formosi pontificis acta Stephanus tertius, concilio habito, abrogauit, & Stephani huius decreta, synodo Rauennæ coacta Ioannes decimus damnauit. Innocentius verò tertius, & Cælestinus tertius contrarias de re magna sententias dixerunt. Nam ille si coniux alter in hæresin inciderit, alteri permittit coniugium iterare, hic contra vetuit, quemadmodum in Iure Canonico legimus. Mitto quod Pelagius pontifex decreuerat, vt Siculi subdiaconi vxores suas, quas antè duxerant, abdicarent: quam legem Gregorius primus sustulit, vt nimis duram & iniquam. Multa possent huiusmodi commemorari, in quibus inter se pontifices dissenserunt, vt si, quod Sanderus affirmat, qui maiorum suorum legitima decreta mutant, infideles sint, & pontifices esse desinant, horum aliqui dignitatem pontificiam omiserint: nisi forte pontificum aliqua decreta possunt esse non legitima, quod Sanderum non existimo defensurum. Et tamen sic loquitur in isto loco, quasi & iniustum aliquid decernere, & esse infidelem posse pontificem iudicaret.

In cap. quantò: Extra. de diuortijs.

In cap. 1. dist. 31.

Quod postremò cum Antichristo pontificem

in nonnullis rebus comparat, vt quid inter vtrasque intersit, exponit, quid aliud facit, quàm aut nugatur, aut calumniatur? Vnde enim intelligamus fore, vt Antichristus se non modò militantis ecclesiæ, quemadmodum pontifex facit, sed etiam vniuersalis, quæ ab initio mundi vsque ad finem perseuerat, caput esse dicat? Quid si verò multos pontifex æquales agnoscit? sunt omnes eiusdem dignitatis participes, vnámque personam constituunt. Quanquam autem se Petro minorem pontifex (aut non minorem quidem, sed potius æqualem) esse profitetur, tamen cæteros Apostolos, ipsúmque Paulum authoritate superat, si pontificijs authoribus credimus, qui quantus authoritate pontifex sit, non minus præclarè, quàm noster Sanderus, intelligunt. Sic enim Ioannes à Capistrano ad verbum, *Papa maior est Apostolo, sicut Petrus fuit maioris authoritatis, quàm Paulus in administratione. 21. dist. §. 1. Vnde Papa est in loco Petri, & sic maior Paulo*. Sic tua hæc demonstratio, *Antichristus sese supra maiores suos, & sanctos, & ecclesiam vniuersalem efferet: pontifex hoc idem non facit: igitur non est Antichristus*, vim omnem firmę rationis amisit.

De Papæ & Conc. siue eccle. authoritate pag. 95. b.

De Antichristo aspernante Idola: & Decima sexta Demonstratio, quod Papa, qui re vera verum Deum adorat, ex ipsorum Protestantium confessione, Antichristus non sit, quia (licet falso) tamen illi dicunt eum colere Idola.

De



E Antichristo Daniel ita scribit: Eleuabitur, & magnificabitur, aduersus omnem Deum: nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget. D. Paulus etiam testatur, Antichristum non modò efferre seipsum supra Deum, sed etiam, supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. *Quo verbo significat Antichristum supra numen omne seu verum, seu falsum semet efferre: nec aut verum Deum, aut idôlum aliquod adorare, adorandúmue proponere præter seipsum. Quam esse veram Apostoli mentem Irenæus docet his verbis:* Antichristus existens Apostata, & latro, quasi Deus vult adorari, & cum sit seruus, regem vult præconiari. Ille enim omnẽ suscipiens Diaboli virtutem, veniet, non quasi rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus, sed impius, & iniustus, & sine lege, quasi Apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro, Diabolicam Apostasian in se recapitulans, & Idola quidem seponens, ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem vnum Idôlum, habens in semetipso reliquorum Idolorum varium errorem, vt hi qui per multas dominationes adorant Diabolum, hi per vnum Idôlum seruiant ipsi, de quo Aposto. in Epist. quæ est ad Thessal. 2. ait sic: Quoniam nisi venerit abscessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollit se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquã sit Deus. Manifestè igitur Apostolus ostendit aduentum eius, & quoniam extollitur supra omne, quod dicitur Deus, vel quod colitur, super omne Idôlum. Hi enim sunt, qui dicuntur ab hominibus, non sunt autem Dij. *Irenæo astipulantur cæteri doctores tam Græci, quàm Latini. Hippolytus de consummatione mundi:* Antichristus idololatriam non admittet. *Cyrillus Hierosolymitanus:* Idôla odio habiturus est Antichristus. *Ephrem in Sermone de Antichristo:* Aspernabitur Idola. *Chrysostomus:* Antichristus est homo, qui extollitur super omnem, qui dicitur Deus, aut numen. Non enim ad Idololatriam abducet ille, sed *antitheus* quispiam erit, quosuis deos pessundans, iubebitque

N. SANDERVS.

Daniel. 11.

Irenæus in fine lib. 5.

Antichristus vnum idolũ statuit: seipsum.

Catech. 15.

In 2. Thes. 2

seipsum pro Deo coli ac venerari. *Hieronymus*: Antichristus cunctarum gentium deos, siue probatam omnem religionem, suo calcabit pede: *Theodoretus*: Deos, qui vocitur, Satanas per Antichristum, falsos esse arguet, quorum falsitatem præteritis temporibus confirmabat.

Quæst. 11. ad Algasiam

In 2. Thes. 2

His ita positis: duas potissimum res inferam. Quarum prior est, Papam non se efferre aduersus Deum verum, sicuti Antichristus facit, de qua re satis ante dictum est. Posterior autem à Protestantium confessione pendet. Illi enim falsò quidem, sed tamen illi scribunt, Papam non tollere, sed statuere Idôla quædam, & ea præter seipsum. Quod ita si est, eadem operâ confitentur Papam non esse Antichristum. Scriptura enim solui non potest, quæ tùm apud Danielem, tùm apud Paulum testatur Antichristum non permittere Idôla. Effert enim se aduersus omnem Deum (*inquit Daniel.*) nec quenquam deorum curabit. Extollitur (*inquit Paulus*) supra omnem qui dicitur Deus, aut quod colitur. *Quòd autem Protestantes fateantur, Papam Idôla non aduersari, sed statuere, passim ex eorum verbis confirmatur. Caluinus in Institut.* Papistæ (*inquit*) Idololatriam habent crassiorem Israëlitica. *Magdeburgenses in Centur. 1. dicunt Episcopos Romanos* adorare Draconē, statuas, & imagines, & horrendā exercere Idololatriam. *Beza in sua confessione fidei Christianæ affirmat* Papisticos Cœnam Domini in execrandum Idôlum commutasse: quod ipsum Sacramentum altaris vocent. *VVolfgangus Musculus in explicatione secundi præcepti, vocat*, Papistas cultores Idôlorum. *Cum ergo tàm Lutherani, quàm Zuingliani dicāt, Papistas Idôla colere, à Papistarū autē numero Papam non excludant, per Idôla verò Sacramētum Altaris, & Sanctorū tam inuocationē, quàm Imagines intelligant. (quæ sunt alia præter ipsum Papam) necesse est vt dicās pontifices Romanos idôla quædam, præter seipsos, colere. Verùm Scripturæ dicunt, Antichristum non colere, aut colendum proponere vllum Idôlum, præter seipsum: Papa igitur, secundum ipsorum Protestantium doctrinam non est Antichristus. Quid hîc respondebunt Protestantes? vtrum Papam colere Idola? Papa igitur non est Antichristus. Mentiuntur illi, cum dicŭt, eum Idôla colere. Imò simul in duobus mendacijs deprehenduntur*

An Papa statuat Idôla.

Daniel. 11.

Thes. 2.

Cap. 8.

Num. 10.

Lib. 2. cap. 41.

Pag. 436. cap. 7.

tur. Vno, dum aiunt, Papam Idôla colere: Altero, dum eundem aiunt Antichristum esse. Quicquid enim veritas est, Idôlum esse non potest, quia Idôlum est mendacium & nihil in mundo. Imagines verò Christi & Sanctorum, ac multo magis Sacramentum Altaris, veritatis cuiusdam signa sunt: nec aliter à nobis honore aliquo afficiuntur, quàm vt signa sunt rerum earum, quæ tum veræ, tum sanctæ sunt. Non potest ergo fieri vt colentes veritatem, aut signum aliquod veritatis, in eo gradu, quo signum est, eâdem opera colamus Idôlum.

Idôli natura 1. Co. 8.

Guilielmus Whitakerus.

XVI.

MVltus est in eo Sanderus, vt quendam nobis Antichristum depingat ab omnibus omnino idolis abhorrentem, ex eóque pontificem non esse Antichristum euincat: & quis non maximas Sandero nostro deberi à pontifice gratias fateatur, qui vt pontificem nõ esse Antichristum persuadeat, Antichristo pontificem multò nequiorem facit? Qui enim idola aspernatur, eo honestior, sanctiorque iudicãdus est, qui idolis inseruit. Antichristus autem, (si credimus Sandero) omnem idololatriam repudiauit, quod pontifex quidem contra facit, à quo innumera penè idola in ecclesijs collocantur, & colenda populo proponuntur. Sed non memineram hanc Sanderi Demonstrationem à Protestantium duntaxat cõfessione pendêre, & nunc Sanderum non ex sensu suo, sed ex Aduersariorum sententia Demonstrare. Quid autem Protestantes confitentur? Idololatram esse põtificem. Id quàm verè dicatur, non disputat

Sanderus, ex eo tantum sumit, quantum ipsi ad argumentum sufficiat. Sic autem Demonstrationem instituit: *Antichristus idola aspernabitur: pontifex Romanus colit idola, vt Protestantes statuunt: non est igitur Antichristus.* Nisi ergo Protestantes coli à pontifice idola defenderent, nihil hic Sanderus reperiret, quò minùs Antichristum esse pontificem fateretur: nos quia idololatram esse pontificem dicimus, inuictum Sandero pro suo pontifice argumentum suppeditamus. Quanquam vt idololatria pontifici tantũ prosit, iniquum profectò fit, & ab omni ratione alienum: imò id verum argumentum efficiet, vt quantò magis idololatriæ deditum esse pontificem intelligimus, tantò illum esse Antichristũ certiùs persuadeamur.

Atqui id Sanderus contra affirmat, & quia põtificem idololatram facimus, non esse Antichristum concludit. Atq; hic multa testimonia introducit, Danielis, Pauli, Irenæi, Hippolyti, Cyrilli, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, quibus fore Antichristum ab omni idololatria alienum ostendere conatur. Ad hæc omnia breuis responsio valebit. Daniel primùm ab hoc sermone remouendus est, cuius verba ad Antiochum Epiphanem propriè pertinent, nec nisi ἀλληγορικῶς ad Antichristum referuntur. Etsi enim omnia propè quæ de Antiocho Daniel edixit, ad Antichristum non ineptè accommodari possunt, tamen ipsa rerum series atque euẽtus persuadet, vt de Antiocho illa interpretemur.

mur. Paulus non negat idololatram fore Antichristum. Quod enim sese supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur extollet Antichristus, id nihil de Antichristi idololatria detrahet. Neque enim aut talis Antichristus expectandus est, qui Deum verbis palàm oppugnet, & præter se nullum esse defendat, nec tam dementem fore quemquam existimandum est, vt id ei affirmanti fidem habeat, nedum vt totus ferè mundus illum tam impudenter insanientem amplectatur, quod futurum in Antichristo non ignoramus. *Apoc.13.* Pontifex verò etsi Deum agnoscit, Diuósque multos colit, tamen se supra Deum, Diuósque omnes effert, quemadmodum docui, & non obscurè animaduerti potest, si quantam sibi in ecclesia authoritatem sumat, consideramus. De patrum verò sententijs non laboro, qui cum ante tempora Antichristi viuerent, & talem Antichristum, qualis erat futurus, ne somniarēt, multa de Antichristo scripsisse aliena, & veri quadam duntaxat imagine ductos fuisse minimè mirum est. Et tamen fateor, quæ hîc scribunt, vera esse. Si enim idola sunt, quemadmodum Papistæ volunt, dæmonum, aut falsorum Deorum statuæ, quales Ethnici adorabant, hanc idololatriam ne ipsis quidem pontificijs obijcimus, sed aliam quandam huic similem à pontifice introductam esse dicimus, quæ quanquam specie ab illa superiore differt, genere tamen eadem est. Non Iouem pontifex, non Iunonem, non Mercurium, non Mineruam, non cæteros

Gentium Diuos veneratur, tamen idololatriam non minùs prophanam atque horrendam exercet. Coluntur enim mortuorum hominum imagines infinitæ, qui quantacunque virtute præditi fuerint, coli tamen sine idololatria non possunt. Nulla gens est, nulla ciuitas, nullus vicus, nullus penè mons, nullus fluuius, nullus fons, nullus homo in ecclesia pontificia, qui non suũ quendam, certúmque diuum, religiosis officijs veneretur. Et siquid habent Imagines Pontificiæ, quod Idôla Gentium non habuerunt, si loqui, audire, videre, olfacere, ingredi, aut deniq; diuinam vllam, humanámue actionem suscipere possunt, factam pontificijs iniuriam fatebor, quando idololatriæ à nobis accusantur. Sin verò non minùs illæ & mutæ, & surdæ, & cæcæ, & stupidæ, & ad quoduis negotium ineptæ sunt, quàm veteres fuerunt, quid, quæso, illis hę præstant, aut quamobrem non has, vt illas olim Dauid simulacra & Idôla appellemus? Ita quanquam Gentium diuos Pontifex non colit, nec statuas Ethnicas in ecclesiam reuocat, tamen nouos quosdam, fictósque Deos excogitauit, & eorum Imagines in templis omnibus collocauit, & eis vim eandem tribuit, quam suis Idolis Ethnici affinxerunt. Atque hæc est illa Idololatria, quam nos in pontificijs meritò damnamus, & execrandã esse clamamus, vt non sit necesse tibi id certis testimonijs probare, obijci vobis à quibusdam nostris Idololatriæ crimen. Est enim nostrûm omnium, sempérque fuit hæc de

Psal. 135. 15.

vobis

vobis verissima querela, Idolis plenam esse pō-
tificiam ecclesiam, Idola à pontificijs coli, si I-
dololatræ esse nolumus, ex hac Babylone, qua
nulla fuit vnquam magis κατείδωλος, nobis esse
fugiendum. Nam vt imagines illæ omnes tol-
lantur, quousque tamen illud Missæ horrendū,
atque execrandum monstrum remanet, & pla-
centa quædam, paulò antè formata à muliercu-
la, adoratur, & verus esse Christus prædicatur,
erimus sine omni controuersia Idololatræ, cum
quibusuis Idololatris conferendi.

Iam ergo vt dem illam priorem Idololatriā,
qua Gentes vsæ sunt, Antichristo non esse con-
sentaneam, quem in Dei templo sedere, atque
esse nomine ac professione Christianum opor-
tet: tamen nullo modo esse Idololatram Anti-
christum, id nunquam Sanderus demonstrabit.
Nam quòd ait, scripturas dicere, Antichristum
non colere, aut colendum proponere Idolum
vllum præter seipsum, id scripturæ nusquam di-
cunt. Aliud est enim, efferre se supra *quicquid
dicitur Deus, aut quicquid colitur*, quàm nullum
omnino *Idolum colere, aut colendum proponere*.
Colit Deum Pontifex, & diuos suos veneratur,
quibus se tamen, non quidem omnino, sed in
quibusdam rebus anteponit. Nec valet hoc ar-
gumentum, Pontifex colit Deum & sanctos, er-
go pontifex nō effert se supra Deum & sanctos.
Sic enim vtrosque colit, vt se tamen illis in ad-
ministranda ecclesia maiorem faciat. Quod er-
go quæris, quid hic respondebunt Protestantes,

vtrum Papam colere Idola? Sic omnino respõdemus. Quod verò infers, *Ergo Papa non est Antichristus*, malè conclusum esse dicimus. Nihil est enim quo minùs vtrumque esse possit, & Antichristus, & Idololatra: & tu hic mentiris, imò in duobus mendacijs deprehenderis; semel, quando non esse Antichristum, quia nos idololatram esse conuincimus, demonstras: Iterum, quando colere Idola negas. Quomodo enim non coli à Pontifice Idola doces? *Idolum*, inquis, *est mendacium: at imagines Christi, & Sanctorum veritatis signa sunt*. Siccine, ais, Sandere? Nulla sunt Idola, quæ rei alicuius veræ signa sunt? Tu Iouem, Herculem, Romulum, res omnino fictas fuisse censes? Si dixeris, omnium indicijs reuincêris. Sunt tamē horum Imagines, Idola: Sic etiam Solis, Lunæ, heroum, quos Gentes coluerunt. Idolum quidem mendacium est, quia se esse, quod non est, mentitur. Si imago Christi, aut Pauli, magis sit Christus, aut Paulus, quàm Iouis, aut Romuli, ipse Iupiter aut Romulus, dabo hanc Christi, Paulique imaginem non esse Idolum, & illam Iouis ac Romuli, dicam esse Idolum. Si hæc non magis res ipsa sit, cuius imago esse dicitur, quàm illa, æqualem vtraque habet mendacij rationem. Qua-
1. *Cor.* 8.4 re Paulus quando Idolum nihil esse in mundo affirmat, non id significat, idolum nullum rei veræ signū esse (nam vitulus ab Israelitis cōflatus in deserto veri Dei signū fuit) sed idolum nō
Exod. 32.5. esse Deum, nec aliquid diuinæ naturæ habere declarat.

declarat. Haymonis hæc verba sunt: *Idolum nihil est, quia videtur imaginem hominis habere, & nõ est homo: videtur imaginem alicuius bestiæ habere, & non est bestia: videtur aures, oculos, nares, & os habere, sed ideo nihil est, quia non videt, non audit, non olfacit, non loquitur. Dicitur homo esse, non est homo: dicitur Deus esse, non est Deus: ideóque nihil est, quia quod dicitur esse, non est.* Hæc omnia nihilo magis priscis idolis, quàm pontificijs imaginibus conueniunt: Atque vt Idôla nihil esse in mundo Paulus propter has causas dixit, sic nobis propter illas ipsas licet de imaginibus sanctorum similem sententiam pronunciare. Quemadmodum etiam Gentes *Dei veritatem in mendacium mutarunt, & creaturas magis, quàm creatorem ipsum coluerunt*, sic nostri etiam pontificij faciunt, qui res fictas, & falsas, & inani quodam artificio fabricatas venerantur, in quibus aliquid inesse veri, non possunt demonstrâre. Deinde, si rerum fictarum imagines idôla sunt, quid de Christophori, Georgij, atque aliorum imaginibus, quibus plenæ sunt ecclesiæ pontificiæ, statuemus? Quis enim ille Christophorus fuit, quis Georgius, quę illa monstrosa Vncumberia Paulina, cui olim auenas fœminæ offerebant? Erántne verò tales vlli aut diui, aut diuæ, quales istis imaginibus exprimebantur. De modo autē vestri cultus, quo imagines adoratis, is quidem talis est, qualem veterum omnium Idololatrarum fuisse constat. Si enim non imagines ipsas colitis, sed personas imagi-

Haymo in 1. Cor. 8.

Rom. 1. 25.

nibus adumbratas, idipsum Gentes fecerunt: si eundem imaginibus cultũ præbetis, quem ipsis Prototypis, vt vos Nicena Synodus docuit, id gentes non fecerunt, atque in eo antiquos Idololatras superatis. Ita iam huic demonstrationi tuæ ex Protestantium, vt dicis, confessione pendenti filum incidimus, vt præceps ruat, nisi succurras.

De Antichristi sessione in Templo Dei, & Decima septima Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quoniam Antichristus (vt multi sanctissimi Patres tradiderunt) sedebit Hierosolymis in Templo Dei: cum Papa nec id fecerit vnquam, nec adhuc faciat.

N. SANDERVS. 2. Thes. 2.



INTER *cæteras Antichristi blasphemias, illam velut non vulgarem enumerat Apostolus, cum dicit*, cum in templo Dei sedere. *Hoc autem licet variè interpretati sint sancti Patres, nulla tamen eorum interpretatio intendit, vt Pontifex Romanus ex ea colligi possit Antichristi personam obtinere. Ac prima & omnium maximè est illa sententia quæ statuit Antichristum*, In templo Hierosolymitano, quod Salomon erexit, sessurum, velut Messiam Iudæorum, cui templum illud inseruire debuerit. *Irenæus igitur in fine libri. 5. contra Heræs.* Cum (*inquit*) Antichristus sederit in templo Hierosolymis tunc veniet Dominus de cœlis in nubibus, in gloria Patris. *Et paulo ante*: Hierosolymis templum per dispositionem veri Dei factum est: Ipse enim Apostolus ex sua persona definitiuè templum illud dixit Dei. Ostendimus autem & in lib. 3. nullum ab Apostolo ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui verè sit Deus, Patrem Domini nostri, cuius iussu

Irenæus locum sanctũ (Matt. 24.) interpretatur templum Hierosolymitanum.

su hoc quod est in Hierosolymis factum est templum, in quo Aduersarius sedebit, sicut & Dominus ait: Cum videritis abominationem desolationis, quę dicta est per Danielem Prophetam stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. *Hippolytus in oratione de consummatione mundi ait,* Antichristum Hierosolymis suscitaturum esse templum lapideum. *Cyrillus Hierosolymitanus:* Antichristus (*inquit*) in templo Dei sedet. Quale autem templum dicit, in tēplo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim vt in hoc id fiat, in quo sumus. Propterea dicimus vt non videamur gratificari illis. Si enim tantùm Christus ad Iudæos veniet, à Iudæis sanè adorari volet, vt illos maximè decipiat. Studiosissimum se esse ostendet illius templi vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipse sit reædificaturus, veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidem non manebit, secundum saluatoris prædictionē. Cum enim vel ruina vetustatis, vel pretextu ædificationis, vel quacunque alia de causa, eiusmodi reliquiarum templi sequetur dissolutio: ita vt omnes lapides tollantur, non dico de exterioris ambitus lapidibus, sed de templi interioris, in quo erāt Cherubim, tunc veniet ille. *Hilarius:* Antichristus à Iudęis susceptus loco sanctificationis insistet vt sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit. Et quia proprius iste Iudæorum erit error, vt qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem. Iudæam deseri monet, & trāsfugere in montes, ne admixtione plebis illius, Antichristo credituræ, vis, aut contagio offeratur. *Ambrosius:* Antichristus (*inquit*) sedet iuxta historiam in Templo vt sibi diuinæ vindicet solium potestatis. *Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus approbant eandem sententiam, nec à veritate aberrare putant,* quod Antichristus in templo Hierosolymitano sedebit, *licet alterius præterea interpretationis meminerint. Accedit eòdem quod in templo Hierosolymitano sæpius velut in figuram Antichristi posita est* abominatio *quædam, nempe, Cæsaris Imago, quam Pilatus ibi erexit. Item, (Chrysostomo autore) illa quam is ibi statuit,* qui vrbem expug-

Catech. 15.

Can. 25. in Matth.

Luc. 21.

In 2. Thess. 2.
Quæst. 11. ad Algasiam
De Ciuitate Dei lib. 20. cap. 19.

mauit. *Praeterea*, Hadriani equestris statua; quæ in ipso sancto sanctorum loco, vsque in præsentem diem (*inquit*

In Mat. 24. *Hieronymus*) stetit, *Quid quod secta etiam impij Mahometis in eodem templo non immeritò sedisse dicitur, quia ibi exercetur cultus, & superstitio Mahometica? ut non sine graui causa quoque in eodem templo expectari possit Antichristi præsentia, & doctrina. Etenim vt qui fuerat quondam populus Dei per fidem veram, nunc factus est per incredulitatem Diaboli populus: Sic nihil vetat, templum illud, quod ab initio Dei erat, nunc ad Satanæ ministerium conuerti: præsertim cum illud exterius templum imago quædam, & figura fuerit interioris templi quod in cordibus fidelium Deo statuitur. Itaque si cor ipsum quod verum Dei templum erat, à Deo ad Antichristũ defecit: quid miri est, si externa etiã structura templi Hierosolymitani concedet in locum prædicationis Antichristi. Vtcunq; sit, de hac primùm causa dicamus id, quod nostro instituto conuenit: Si Antichristus in templo Hierosolymitano sessurus est (id quod tot ac tanti patres non sine magnis rationibus verũ existimant) profectò Papa, qui nunquam hactenus in illo Iudaico templo iuxta historiam sedit, nunquam hactenus fuit Antichristus, ac neque adhuc est.*

Guilielmus Whitakerus.

XVII. SEssurum in Dei templo esse Antichristum Paulus præmonuit, & sedisse in templo Dei multis seculis Antichristum nos defendimus, vt quod futurum Apostolus prædixit, id nos factum esse, & re iamdudum euenisse affirmemus. Inter Sanderi verò de templo Dei, nostrámque sententiam tantum quidem interest, quantum à templo Hierosolymitano Romana ecclesia distat. Templum enim hoc Dei, in quo

quo sedere Antichristum oporteat, nullum aliud Sanderus intelligi existimat, quàm Hierosolymitanum, quod etsi fuit aliquando templum Dei, tamen iam olim non tantùm Dei templum, sed omnino templum esse desijt. Ex isto templo suam hanc Sanderus demonstrationem petijt. *Si Antichristus sedebit in templo Dei Hierosolymitano, tum Pontifex qui nunquam in illo Iudaico templo sedit, non est Antichristus, at illud verum est: Ergo hoc.* Si quis abs te quærat, cuiusmodi illud sit Dei templum Hierosolymitanum, quod fingis, hæreas omnino est necesse. Nam illud Salomonis templum antiquum sic olim euersum fuit, vt eius nulla vel rudera remanerent, totaque moles disiecta, & dissipata solo æquaretur. Quam ergo potes viam inuenire, qua sedere Antichristus possit in eo templo, quod nusquam iamdudum fuit? Sed templo tuo, in quo sedem Antichristo futuram somnias, ipsi Antichristo, qualem proponis, omnino consentaneum est. Ficto enim Antichristo, qui nullus vnquam aut fuit, aut posthac erit, templum fictum non male conuenit. Quis enim nescit totam illam prisci templi structuram penitus esse dissolutam, vt qui Hierosolymis templum Salomonis quærat, perinde faciat, ac si Ilium proficiscatur, vt Priami regiam, aut Romam, vt Capitolium videat. Quomodo autem subito consurget, atque in templum magnificum euadet, quod nunc ita iacet, vt nusquam conspiciatur? Quis, inquam, templum illud Salomonis instau-

Mat. 24.2.
Luc. 19.44.

rabit, & reædificabit, vt Antichristo aptum esse possit. Nõ enim in ruinis veteris ædificij sessurum Antichristum existimandum est, & locus ipse talis esse debet, qualis Antichristi potentiæ ac maiestati respondeat. Quid olim Iudæis acciderit, dum illius templi fundamenta iacere aggrederentur, in historia legimus, vt coacti sint cum suo maximo damno & calamitate opus infectum deponere. Ex quo tempore nullus, quod sciam, ausus est Salomonis templum reparare, sed expectandus Antichristus est, si credimus Sandero, qui quod nullus antè potuit, efficiat, & templum Salomonis Iudæis reddat aliquando. Quanquam aut ante Antichristum extrui hoc templum necesse est, aut Antichristo vix satis otij ac temporis futurum videtur ad tantum laborem, quantus est ad templi ædificationem necessarius. Cum enim multa sint Antichristo peragenda, & tempore admodum exiguo durabit, quemadmodum Pontificij nostri statuunt, nescio an possit in illis temporum angustijs, & templis extruendis vacare, & reliquis negotijs inseruire. Vix enim tribus annis satis splendidè instaurari templum illud poterit, quod quadraginta & sex annis initio ædificatum fuerit. Nescio an satis hæc commodè diuisa ac partita fuerint à pontificijs Antichristo.

Ruffin. lib. 10. in fine. Theodoretus. lib. 3. cap. 20.

Ioan. 2. 20.

Nec vt maximè Antichristus nouum Hierosolymis templum extruat, tamen illud Salomonis templum existimetur. Nullum fuit Hierosolymis longo seculorum decursu templum Salomonis,

monis, si quod Hierosolymis templum deinceps esse cœperit, id eius erit, qui construxit, non Salomonis. Patres autem, Sandere, tuos nolo mihi esse in hac causa molestos. Et quanquam nonnulli tibi fauent de templo Hierosolymitano, tamen alij aliter sentiunt, nec habes omniũ consentientes de templo tuo opiniones. Origenes enim hoc templum alio modo interpretatur: & Augustinus etiam, & Chrysostomus, & Hieronymus, quos testes adhibes, non sic eã sententiam probant, vt in illa omnino tanquam certa & explorata acquiescant. Imò Hieronymus hoc templum de ecclesia accipiendum esse arbitratur: Sic enim scribit, *In templo Dei, vel Hierosolymis (vt quidam putant) vel in ecclesia, vt verius arbitramur.* Et quis Apostolum putet, quando in templo Dei sessurum esse Antichristum scribit, illud Salomonis templum cogitasse? Verborũ ipsa ratio attentè animaduersa nõ esse de templo Hierosolymitano locutum Apostolum persuadebit. Neque enim aut illud iam Dei templum fuerat, aut post hoc tempus, Dei templum in scripturis appellatur. Aliud ergo templum significari dubium non est, quod quale sit conijci potest, siquid illa ἀποστασία, cuius Apostolus meminit, sibi velit, intelligamus. Cũ ergo ἀποστασία fidei sit ac religionis, nec apud vllos locũ habeat, præterquam eos, qui fidẽ verã professi fuerint, cumque hæc ἀποστασία ad Antichristi regnũ spectet, vt vbi hæc fuerit ἀποστασία, ibi esse Antichristum sit necesse, nunc non diffi-

Origen. homil. 29. in Matth.

Hieronym. ad Algasiã quæst. 11.

cile est templum illud Dei reperire, in quo sessurum esse Antichristum Paulus indicauit. Hoc enim templum quid aliud est, quàm ecclesia Christi, in qua Deus colitur, quæ ex viuis lapidibus constat, cuius illud Hierosolymitanum imago, typúsque fuit. In hoc templo hoc est in Christi ecclesia, atque in medio illorum, qui Christi nomen ac religionem profitentur, sessurum prædixit Apostolus Antichristum, & tuus pontifex hic ipse est Antichristus, quem his verbis Apostolus præmonstrauit, qui quanquam Euangelij, fidei, religionis, iacturam fecit, & præter μόρφωσιν εὐσεβείας nihil retinet, sibi tamen omnem in ecclesia Christi authoritatem vendicat, se magistrum pietatis simulat, sibi hominum conscientias submittit, à suo nutu religionis omnem vim pendêre statuit. Et quanquam ecclesia Romana, in qua vnicè pontifex sedet, templum Dei non est, si verè loqui volumus, tamen Dei templum meritò appellatur, & quia fuit olim reuera templum Dei, & quia nunc in Romana ecclesia reliquiæ sunt huius templi, & quia se pro templo Dei iactat, illúdque nomen ad se vnam, suósq; alumnos pertinere contendit. Atque hoc est quod Augustinus intelligit, quando ait, *Antichristum in templum Dei sessurum*, hoc est, id sibi sumpturum, vt is cum suis sit templum Dei, quæ est ecclesia. Quare nugas & fabulas mittamus, quibus Pontificij captas imperitorum hominum cogitationes circumducere conantur, & templum Hierosolymitanum

1.Cor.6.19.

2.Tim.4.5.

Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 19.

iacère

iacêre in ruderibus sinamus: Antichristum in ecclesia Romana multis iam seculis sedentem, atque regnantem agnoscamus.

Decimaoctaua Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, etiamsi templum Dei accipiatur, pro Ecclesia Dei, quia nullus Pontificum Romanorum sedit vnquam in templo Dei, tanquàm Deus (id quod Antichristus faciet) sed tanquàm Dei minister: & vicarius Christi.

N. SANDERVS.



VANQVAM nemo sanctorum Patrum illam priorem interpretationem, velut falsam accuset, quæ statuit, Antichristum iuxta historiam in loco sancto, atque in templo Dei Hierosolymitano sessurum: tamen & alij aliquot aliter Dei templum accipiunt, & Hieronymus verius arbitratur, *templum Dei apud Apostolum non de Hierosolymitano templo, sed potiùs* de Ecclesia *accipiendum esse, in qua sedet Antichristus, non velut legitimus iudex, sed velut tyrannus, qui partim dolo, partim vi eum locum occupat. Augustinus etiam rectè admonet, Græcè legi, filium perditionis sedere non solùm* in templo, *sed etiam* in templum Dei, *tanquàm ipse cum suis membris sit* templum Dei quod est ecclesia. *Cum enim negauerit, veram esse Christianorum ecclesiam, eum honorem sibi potius ac suis vendicabit, nec alij cuiquam Deo, præterquam sibi templum aliquod legitimè dedicari posse contendit. Itaque Chrysostomus dicit,* Antichristum iussurum, se in templum Dei collocari, non Hierosolymitanum solum, sed & in ecclesias, *quod ipsum etiam Theodoretus sensit. Secundum quam interpretationem Antichristus dicitur sessurus non tantùm in templo Hierosolymitano, sed præterea in quolibet alio templo seu ecclesia. Vnde Protestantes inferunt, Papam esse Antichristum, quia Papa,* in Ecclesia Dei, sedet. *Quasi verò quia Antichristus tyrannus modo se-*

Quomodo Antichristus in ecclesia sedeat.

In templum sedere.

des in ecclesia Dei, propterea quicunque in ecclesia Dei, quocunque modo sedet, ob id ipsum sit etiam Antichristus. Licebit hac ratione vt Apostolos & omnes eorum successores appellemus Antichristos, quia illi quoque suo modo sederunt in ecclesia Dei. Nam sederunt super Cathedras suas, *certè non extra Ecclesiam Dei, sed in ea, de his enim, qui intus, id est, in ecclesia Dei sunt, iudicârunt. Denique Ioannes in Apocalypsi* vidit sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. *Quæ verba Augustinus in hunc modum interpretatur:* Non hoc putandum de vltimo iudicio diei, sed sedes præpositorum, & ipsi præpositi intelligendi sunt per quos ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum est: Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo, & quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Vnde & Apostolus: Quid enim mihi est (inquit) de his, qui foris sunt, iudicare? Nam de his qui intus sunt vos iudicatis. *Si ergo præpositi, per quos ecclesia nunc gubernatur, sedent super sedes suas in ecclesia Dei: non est continuò Antichristus, quicunque in ecclesia Dei sedet. Quid ergo est? vtique Antichristus non tantùm sedet in ecclesia, sed etiam* sedet ibi, vt Deus. *Ita enim Paulus scribit secundum Græcos codices:* Adeo vt tanquam Deus in templo Dei sedeat, ostentans se quòd sit Deus. *Nos autem negamus Papam ostentare se* Deum, *aut* sedere tanquam Deum in ecclesia. *Sedet enim in ecclesia quidem, sed vt minister Dei, non vt Deus. Hoc verbum* (vt Deus) *aduersarij prætermittunt suo more quando iniustissimè accusant Papam, qui seipsum non modò ministrum Dei agnoscit, verùmetiam fatetur,* se illo sublimi, & excelso ministerio indignum esse. *Antichristus verò apud Paulum appellatur primùm* (homo peccati) *vt in vera illius hominis natura, peccati etiam malitia inesse intelligatur. Sed cùm hoc videretur commune cum multis, pergit Apostolus ad deteriorem ipsius conditionem, & eum appellat* Filium perditum. *Sed in quo genere perditum? In eo sanè, quòd* Aduersatur. *Et cui obsecro, aduersatur, nisi Deo & Christo eius? Sed in quo gradu aduersatur? In omnium pessimo: nimirum in* extollendo se supra omnem Deum, & omne numen. *Adeo vt non sicet*

modò,

1. Cor. 5.

Præpositi sedent in ecclesia Dei & iudicant.

De Ciuitate Dei. lib. 20. cap. 9.

ὡς θεὸν.

Protestantium mala fides.

modò, sed etiam sedeat, non in aliquo inferiore domus loco, sed in ipso Dei templo, *id est, in summo fastigio domus Dei, &* *id non tanquam Minister, sed tanquam* Deus, *nec hoc, velut qui verbo tenus simulet se Dei ministrum, & interim re vera Dei honorem ambiat, sed vltro præ se ferens, & signis, prodigiisq;* ostentans se quòd sit Deus. *Imò cum sibi Deo templa erigantur, Antichristus templa sibi ipsi eriget vt præclarè monuit Theodoretus*: Deũ Maozim in loco suo venerabitur: & faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem nouit. *Antichristus (inquit Theodoretus)* seipsum appellabit Deum Maozim, id est, fortẽ & potentem. Illud enim (in loco suo) pro (seipsum) posuit. Eriget enim sibi templa, & argento, & auro, & lapidibus prætiosis ipsa ornabit. *Certum verò est nullum vnquàm Pontificem Romanum sibi ipsi tanquam Deo templa erexisse, & ita sedisse in illis, vt diuinitatis honorem ex eare sibi arrogaret. Itaque si prima cum postremis coniungimus, Antichristus vocatur aduersarius omnium perditissimus, & superbissimus, vt qui apertè profitetur, se aduersarium esse Christi, & adeo non esse ministrum illius, vt ecclesiam Christi velit suam ipsius ecclesiam fieri, eo quod ipse non solùm velit tacita quadam opinione Deus haberi, sed etiã rebus ipsis ostentet se quod Deus sit, ac templa suo nomini dedicanda curaturus sit.*

In Dan. 11.

Antichristus sibi ipsi eriget templa.

Guilielmus Whitakerus.

SEnsit Sanderus illud suum de templo Hierosolymitano argumẽtum non modò scripturarum authoritate, & omni verisimilitudine carêre, sed ne patrum quidem constante, perpetuáq; opinione niti. Quanquam enim interdũ templi illius meminerunt, nec rem omnino incredibilẽ esse arbitrantur, vt Hierosolymis sedeat Antichristus, tamen in eo sibi minimè satisfaciunt, & qui summi sunt, ac præstantissi- XVIII.

ini, non de templo Salomonis, sed de ipsa Christi ecclesia, quæ verum Dei templum est, locutum esse Paulum potius arbitrantur. Quia hunc de templo Dei locum, nondum sibi Sanderus satis putauit esse perpurgatum, & alia adhuc demonstratione opus esse vidit, quam ad istam sententiam accommodaret. Quod ergo illi necessarium fuit, fingit illud templum Dei, in quo Paulus sessurum Antichristum scribit, de ecclesijs intelligi: & nunc id agit, vt etiamsi id verum sit, quod esse verissimum ipse perspexit, tamen eo pontificiam existimationem nullo modo læsam esse doceat. Quanquam enim sedere in ecclesia pontificem negare non potest, tamen eo modo sedere, quo Antichristum oportet, id verò non dat, & proinde non esse Antichristum concludit. At quis hic modus est, quem à suo pontifice tantopere contendit esse alienum? Quia Antichristus in tẽplo Dei sedebit, *tanquam Deus*, id quod suum pontificem facere negat. Et verò hunc modum Apostolus indicauit, & prætermitti omnino non oportet. Nisi enim hoc modo sessurum in ecclesia Antichristum Apostolus prædixisset, non tam facilè agnosci à nobis pontifex & deprehendi potuisset: nunc quando pontificem videmus non tantùm in ecclesia sedere, sed diuinam quandam in omni ecclesia authoritatem, & munus exercere, atque in Dei templo, non aliter, quàm si Deus quidam sit, sedere, nullum Pauli meliorem interpretem, quàm ipsum rerum euentum,

ὡς θεὸν.

morem.

moremque pontificium desyderamus. Non enim, quia in templo sedet pontifex, est Antichristus, sed quia vt Deus sedet, Antichristum esse concludimus: & nisi isto modo sedere conuincimus absoluemus. Nihil ergo tibi opus, Sandere fuit, vt legitimè in ecclesia sederi posse disputares, nec omnes esse Antichristos doceres, qui in ecclesia quocunque modo sederent. Nā & Apostoli, & pij omnes ecclesiarum magistri in ecclesijs sederunt, nec vlla est extra ecclesiam sedes, nisi erroris, & pestis, & sempiterni interitus. Ita ineptè à te hic labor positus in eo fuit, vt quod nullus vnquam dubitauit, id scripturæ, patrúmq; testimonijs comprobares. Quid hoc aliud est, quàm tempore tuo, & auditorum ocio abuti, &, quod Sophistis in more positum est, ἀδολεσχεῖν? Non enim quācunque sessionem damnamus, sed illam, qua vsurum Antichristum accepimus, qui quanquam est mancipiū Satanę, se tamen Deū quendam in ecclesia facit, & tanquam Deus in ecclesia sedet. Tuum nunc, Sādere, quodnam est pro pontifice argumentum? Sic autem disputas: *Si Antichristus sedebit in ecclesia, vt Deus: Pontifex Romanus, qui nō sedet in ecclesia, vt Deus, non est Antichristus*: prius autem est verum, igitur posterius. At quomodo persuades verum esse, quod proponis, quando sedere in ecclesia pontificem, *vt Deum*, negas? *Sedet quidem*, inquis, *in ecclesia, sed vt minister Dei, non vt Deus*. Si hæc vis sit argumenti, pontifex se ministrum Dei vocat: Ergo fieri nō

 multi

potest, vt in ecclesia tanquam Deus sedeat, nihil omnino concludis. Nam & se pontifex Dei ministrum agnoscere, & interim tamen vt Deũ in ecclesia iactare potest. Nomen enim ministri non impedit, quo minus eius sibi authoritatem & ius vendicet, cuius se ministrum simulat: quod etiã in veris ac legitimis ministris perspicimus. Quis enim negabit legatum esse principis ministrum? & tamen principis personam legatus ad tempus sustinet, quousque munus legationis durat. Etsi ergo pontifex se ministrũ Christi, & seruum seruorum Dei appellat, quod illi molestum non est, dummodo humilitatis simulatione superbiæ suæ satisfaciat, tamen hoc ministerium eiusmodi est, vt cum authoritate atque imperio diuino coniunctum esse constet.

Neque hoc verbum *(vt Deus)* nos prætermittere solemus, quemadmodum tu falsò criminaris: imò in eo vim maximam contra pontificem Romanum inesse intelligimus, ac proinde illud semper vrgemus. Quod verò se pontifex illo excelso ministerio indignum esse confitetur, ad rem parum attinet. Postquam mactus est, quicquid à mortali quoquam expeti potest, & totum orbem suo imperio subiugauit, sufficit tamen Sandero, vt indignum se tam sublimi ministerio, (sic enim tyrannidem, & Monarchiam suam *καθ' ἀντίφρασιν* vocat) verbo fateatur. Quod quàm ille ex animo faciat, ex eo perspici potest, quòd se à nullo homine reprehendi, aut indignitatis vllius insimulari patiatur. Si quis enim illum

illum ausit, aut eo ministerio indignum affirmare, aut illius negligentiam, auaritiam, luxum, perstringere, aut meliorem desyderare, non impunè hanc iniuriam & contumeliam ferat. Frustrà ergo, & simulatè se indignum illo munere homo omnium superbissimus profitetur.

Quæ subiungis ex Apostolo Antichristi elogia, ea omnia, aliaque multa ad tuum pontificẽ pertinent. Quorsùm enim [illegible]? Hic ille est *homo peccati, filius perditus, aduersarius, extollens se supra omnem Deum, & omne numen, adeo vt sedeat in templo Dei, tanquam Deus*, & si quæ sunt alia huiusmodi. Hæc si quis neget tui pontificis esse propria, suis illum insignibus spoliet, & iniquus meritò habeatur. De signis verò & prodigijs, quanquam eiusmodi multis vsurum Antichristum intelligo, tamen vt ijs se Deum esse fidem faciat non existimo. Non enim tum prodigiorum meminit Apostolus, quando Antichristum, ait, *ostentaturum se esse Deum*, quasi id sit prodigijs effecturus: sed prodigia Antichristi pòst nonnihil commemorat. Et de templis, quæ sibi extructurum Antichristum scribis, nihil in scripturis reperimus. Non enim Paulus eum fore Antichristum præmonstrat, qui nullum, præterquam se, Deum agnoscat, aut sibi templa vlla ædificari iubeat, aut nullum præterea Deum coli patiatur, quod nostri pontificij sine scripturis fingunt, sed qui sedeat in ecclesia tanquam Deus, & se vero deo anteponat, Deúmque esse ostentet. Hoc is facere potest,

Ioannes à Capistrano

qui se Deum, & Christum colere simulat, qui pietatem laudat, qui se ministrum Dei & Christi, tantóque ministerio indignum esse confitetur: atque hæc Romanus pontifex & fecit diu, & nunc se debere facere contendit, ac proinde is est, quem Paulus indicare voluit. Diximus de hac re iam prius satis multa, & obscurum non est, quemadmodum pontifex in ecclesia sedeat, vt Deo potius, quam homini similis esse videatur.

Nam primum ecclesiæ caput, & sponsum, & Episcopum vniuersalem se esse gloriatur, & ecclesiam corpus, sponsam, gregem suum vocat: In quo quæ Christi propria atque hæreditaria nomina sunt, sibi communia facit. Deinde quòd Deus ipse facere posset, si palàm in terris ageret, & in templo suo sederet, id pontifex sibi sumit. Fingamus enim in media ecclesia præsentem Christum residere, quid ab illo expectes, quod à pontifice non impetres? vis regnum? quamquam Christus regnũ suum nõ esse terrenũ, nec istis regnis, quæ expetuntur simile testatur, tamen pontifex reges & creare, & abrogare potest, & de imperio, quod ei visum fuerit, statuere. Quandoquidem Petro *æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperij iura commisit Christus dominus*. Vis peccatorum plenam remissionem accipere, nec culpa tantùm, sed pœna etiam liberari? Accede ad pontificem, qui votis tuis abundè satisfaciet, & quiduis tibi, modò præcium attuleris, prolixè munificéque largitur.

22. *Dist.* *cap.* 1.

tur. Reliquam pontificis infinitam in administranda ecclesia, in legibus ferendis, in sacramentis instituendis, in religionum nouis formis sanciendis, in rebus innumeris authoritatem prætermitto, quam ille tantam exercet, quanta nulla esse potest maior ac diuinior. Poqui ex iure Canonico multa commemorare, vnde illum non humana potestate contentum esse, sed diuinam arrogare constaret. Hostiensis ait, *breuiter excepto peccato, quasi omnia de iure potest, vt Deus.* Nō persequar omnia, quę adduci possunt, ero vna Capistrani responsione contentus, quā isti non audent improbare, cum ab eo profecta sit, quem pontificia ecclesia & doctissimum suo tempore, & sanctissimum fuisse predicat. Sic Capistranus ab verbum scribit. *Ad tertiam igitur accedens, vbi quæritur, ad quid protenditur authoritas Papæ, Respondeo breuiter, quod ad omne bonum, & ad nullum malum: est etenim quasi Deus in terris, maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis.* Hoc illud est, quod de Antichristo nos Paulus premonuit. Si est enim pontifex *quasi Deus* in terris, eiusque authoritas tam latè patet, quam ipsum bonum, quis hunc vt Deum in ecclesia sedere, seque pro Deo venditare, nisi admodum impudenter neget? Quid ergo quæ sunt apertissima non videmus, aut quid expectamus, dum quis nouus Antichristus veniat, qui naturam omnem diuinam sibi tribuat, & se pro solo, veroque Deo in ecclesia colendum, atque inuocandum ostentet.

Hostiens. Extra de transl. Epis. Quanto. vt Deus.

Ioannes à Capistran. de Papæ & ecclesiæ authoritate pag. 93. B. Quasi Deus.

Ὡς θεὸν.

qualis profectò nullus vnquam ad mundi finem futurus est, at quid ita desipimus, vt qui iam olim venit, & palam in oculis omnium volitauit, cum tamen nondum venisse affirmemus, & venturum posthac ignoto tempore suspicemur. Est hoc pontificium delirium Iudaeorum amentiae persimile, qui Christum natum repudiant, quia talis non erat, qualem illi futurum sibi persuaserant, & alium nescio quem, Messiam expectant, quem nunquam aspicient.

De signis, & prodigiis Antichristi: & Decimanona Demonstratio, quod Papa non sit Antichristus, quia nihil stupendum & prodigiosum hucte- nus in eum finem gessit, quem Antichristus praecipuè sibi proponit.

N. SANDERUS.



UONIAM finis causarum omnium praecipua est: antequam de ipsis Antichristi prodigiis loquar, finem ipsum exquiram, ad quem illa prodigia ab Antichristo diriguntur. Is verò cum se extollat supra omnem Deum atque ostentet se quod sit Deus: liquidò apparet, eum signa & prodigia sua in finem eum operari, vt diuinitatis suae opinionem confirmet. Unde Ambrosius ait: Antichristus imitabitur Deum; vt sicut Filius Dei Diuinitatem suam homo natus vel factus signis ac virtutibus demonstrauit, ita & Satanas in homine apparebit, vt virtutibus mendacij ostendat se Deum. *Pontifex autem Romanus hac in re nihil commune cum Antichristo habet. Nec enim quisquam pontificum Romanorum miracula quaepiam in eum finem operatus vnquam est, vt ex ea re Deum se credi vellet. A-liqui huius ordinis* [illegible] *vel ab* [illegible]

In 2. Thes. 2

In quem finem miracula operatur Antichristus

autem

autem ne aduersarij quidem tale aliquid confingere possunt, eo-dem cordatis viris idipsum probabunt. Si quid ergo admiratione dignum Papæ gesserunt, cum in eum finem, qui potissimum propositus fuit Antichristo, id non gesserint: nihil hoc ad hanc rem, qua de agitur, spectat.

Gulielmus Whitakerus.

ALium nunc Sanderus locum ingreditur, ex quo multa demonstrationum semina collegit. Cum enim Apostolus Antichristi aduentum in signis, prodigijsque falsis potentem & admirabilem, & Satanæ viribus efficacē fore scribit, hoc Apostoli de Antichristi miraculis vaticinium multas Sādero pro Pontifice demonstrationes, quas deinceps persequitur, suppeditauit. Et primum sibi à fine, omniū causarū principe, exordium capiendum esse duxit, vt non esse similem horum miraculorum finem euinceret. Nulla enim esse Romanorum pontificum miracula, si diceret, suis omnibus palàm repugnaret, qui in ecclesiæ pontificiæ laudibus, id imprimis solent numerare, quòd apud illos nec defuerunt vnquam, & nunc etiam multa fiunt quotidie miracula. In quo tamen quid aliud faciunt, quàm quod facturum esse postremis temporibus Antichristum accepimus. Itaque nihil est, quòd hoc nomine vel nostram contemnant, vel suam prædicent ecclesiam. Nā & impij nonnunquam edunt miracula, & qui sanctissimi sunt, nullis miraculis vtuntur. Gra- XIX. 2. *Thess.* 2. 9.

Chrysost. in Matth. Homil. 49. uiter & verè scripsit Chrysostomus: *In fine temporis concedenda est potestas Diabolo, vt faciat signa vtilia: vt iam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa, sed quia omnino hæc signa non faciunt.* Et iterum *per signa cognoscebantur, qui essent veri Christiani, qui falsi: nunc autem signorum operatio omnino leuata est, magis autem inuenitur apud eos, qui falsi sunt Christiani.*

Augustinus in Ioan. Tract. 13. Atque eodem modo scribit Augustinus: *Contra illos mirabiliarios cautum me facit Deus meus, dicendo: in Nouissimis diebus exurgent Pseudoprophetæ, facientes signa & portenta, ut inducant in errorem, si fieri possit, etiam electos.* Vestra ergo vobis miracula non inuidemus, nec nobis, quia miraculis caremus, minùs placemus, aut deesse ecclesiæ nostræ aliquid ad integritatem ac dignitatem suam existimamus. Nec vobis honorificum est facere, quod facit Antichristus: & nobis vitio verti non potest, si non facimus quod & impij faciunt, & pij sæpe non faciunt. Sed tuam nunc demõstrationem Sandere videamus: ea est huiusmodi: *Antichristus miracula in eum finẽ operabitur, vt se Deum esse ostendat: Pontifex Romanus nihil unquam sibi tale proposuit: non est igitur Antichristus.* Omnia hic ambigua sunt. Si enim eam ob causam facturum eẽsses miracula Antichristum, vt se planè verum Deum, mundi, rerumque omnium conditorem esse confirmet, nihil eiusmodi nos de Antichristi miraculis Apostolus docuit. Horum enim miraculorum non hunc finem statuit, quem tu Antichristo

sto propositum fore contendis, sed alium ab hoc tuo nonnihil discrepantem. Etenim prodigia ista Antichristi eò spectabunt, vt ij, qui pereunt, fallantur efficaciter, & mendacijs credant, & damnentur, quia non crediderunt veritati. Hic horum erit signorum finis, vt, quos Dominus propter ingratitudinem perfidiamque suam perire voluit, in fraudem inducantur, & meritas suæ nequitiæ ac temeritatis pœnas pendant, non vt his miraculis Deum se esse demonstret Antichristus. Et nullus vnquam Antichristus ita erit ab omni ratione & sensu desertus, vt suam hoc modo diuinitatem comprobare conetur. Ambrosij fides penes ipsum sit Ambrosium. At verò si ista sic accipimus, quasi eo animo facturus sit miracula Antichristus, vt suam in ecclesia gubernanda diuinam authoritatem commendet, atque augustiorem videri faciat, non repugno. Et huc quidem omnia pontificum, & pontificiorum miracula referuntur, vt illam tyrannidem, & immensam potestatem exornent, & sacrosanctam ac diuinam esse persuadeant, quam pontifex in ecclesiam Christi, atque in omnes religionis partes exercet. Ita neruus huic demonstrationi incisus est, & pontifex opinionem Antichristi suam inuitus retinet.

2. Thes. 2. 10. 11. 12.

Vigesima Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quia in alterius nomine Antichristus, in alterius verò Pontifices Romani miracula sua ediderunt.

N. SANDERVS.



EGARI non potest, Pontifices Romanos mirabilia quædam opera interdum fecisse. Verùm illi omnia fecerunt in Iesu Christi nomine, Christum agnoscentes earum rerum operatorem, se autem ministros tantùm esse. Tale est quod Gregorius de S. Ioanne Papa narrat, quem refert

Dial. lib. 3. cap. 2.

ad auream portam Constantinopolitanæ vrbis in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidisse, & manu superposita oculorum tenebras fugasse. *Ille enim Papa Ioannes adeo in Christi nomine hoc miraculum fecit, vt etiam pro Christi nomine vitam postea impenderit. Nam idem Gregorius ait,* Theodoricum regem Africanum Ioannem Papam iniustè iudicando & affligendo in custodia occidisse. *Præterea idem Gregorius refert, Agapitum Papam post* Missarum solennia, curasse mutum & claudum in virtute Domini ex adiutorio Petri. *Similia de alijs pontificibus Romanis alij etiam Historici recensent.* Victorem secundum *Lambertus Schafnaburgensis narrat*, tam diu ad orationem cum populo, inter Missarum solennia prostratum esse, donec subdiaconus paulò antè à Dæmonio correptus liberaretur. *Idem Lambertus refert, signa & prodigia per orationes Gregorij Papæ Septimi frequentius facta esse. Idem de illo testatus est & Guilielmus Historicus, Vincentius Gallus, & Marianus Polonus. Cælestinum etiam quintum miraculis claruisse Platina testatur. Sed hi omnes, & quicunque alij pontifices Romani res mirandas vel viui, vel cum Christo in cælis agentes, patrârunt: certè patrârunt eas* in Christi nomine, *quod & inuocârunt semper, & confessi sunt. At verò Antichristus non faciet sua signa & prodigia in nomine Iesu Christi Nazareni. Quomodò enim hoc faceret,* cum negaturus sit Iesum esse Christum

Papa operatur in Christi nomine.
Dial. lib. 4. cap 30.
Dial. lib. 3. cap. 3.

Anno. Dom. 1054.

Antichristus nihil facit in Iesu Christi nomine.
1. Ioan. 2, & 4.

Christum? *Quum ergo Pontifices Romani sub solo Christi no-*
mine omnia miracula sua ediderint, sub cuius nomine Anti-
christus nihil faciet: ex hac etiam re constat, Papam non esse
Antichristum. Magdeburgenses fatentur, pontifices Romanos
miracula sub nomine Christi edere. Sic enim scribunt: vt autẽ Cent. 5. lib.
his fidem faciant (*Pontifices Romani*) edent miracula vir- 2. cap. 4.
tute Diaboli, nihilominus sub nomine Christi. *Quod di-* pag. 436.
cũt episcopos Romanos edituros miracula sub nominẽ Chri-
sti: *accipimus quod dant, & verum esse confitemur. Quod ve-*
rò addunt, illos ea miracula edituros virtute Diaboli: *negamus,*
Diabolum dare virtutem ijs rebus, quæ sub nomine Christi fi-
unt. Hoc enim esset suum regnum destruere, & Christi regnum
corroborare. Si Satanas (*inquit Christus*) Satanam eijcit, Mat. 12.
aduersus se diuisus est. *Itaque videant Protestantes, ne pec-*
cent in spiritum sanctum, *dum miracula sub Christi nomine*
facta, Diaboli virtute fieri dicunt. Absque omni controuersia
Satanas nunquam Iesu Christo (cuius vel nudam nominis vm-
bram ferre non potest) eum honorem deferet, vt sub nomine
illius miracula sit editurus. Nam (vt rectè dicit Damasce-
nus) non pro Christo veniet, sed aduersus Christum, & Lib. 4. cap.
eos qui sunt Christi: propter quod & Antichristus dici- 27.
tur. *Si autem sub nomine Christi miracula ederet, non esset*
aduersus Christum, sed pro Christo. Nam cum Ioannes diceret
ad Iesum: Præceptor vidimus quendam in nomine tuo Luc. 9.
eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non se-
quitur nobiscum: ait ad illum Iesus: Nolite prohibere,
Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. *Christus* Nota.
negauit illum esse aduersum se, qui eijceret Dæmonia in ipsius
nomine. Satanas verò est aduersus Christum: igitur in Christi
nomine Satanas nunquam eijcit Dæmonia: quod autem Sata- 2. Thes. 2.
nas non facit in prodigijs edendis, nec Antichristus faciet. Nam
in Satanæ virtute Antichristus edet prodigia sua. Papa igi-
tur, qui ea miracula quæ facit, in Christi nomine facit, non est
Antichristus.

Guilielmus Whitakerus.

XX. ALterum hoc est de Antichristi miraculis argumentum, in quo Sanderus vim illam, qua Antichristus miracula facit, diuersam, longéque aliam esse contendit, atque ea est, qua pontifex in miraculis valet. Cùm enim fieri ab vtroque miracula necessariò fatendum sibi perspiceret, discriminis, quàm multas potuit, demonstrationes conquirendas & excogitandas esse iudicauit. Quod ergo in proximo superiore loco de dissimili horum miraculorum fine disputauit, idipsum nunc de causa efficiente aggreditur, vt alia vi pontificem, alia Antichristum ad miracula edenda instructum accedere doceat. Et primò superuacaneum in eo studiũ posuit, vt fieri interdum à Romanis pontificibus opera quædam mirabilia confirmaret. Id enim si nullis possit testimonijs probari, tamen Sandero nostro, vel petenti, daremus. Quanquam non ita sumus in miraculis dijudicandis imperiti, vt quasuis pontificiorum præstigias, pro veris miraculis habeamus, aut qualia eorũ pleraque fuerint ignoremus. De pontificum ipsorum miraculis, nihil iamdudum accepi, nec ipsi videntur, magnopere sua miracula prædicare. Forsan hunc Apollinem puer Hebræus de tripode deiecit, eísque silentium in posterum imperauit. Et tamen si fiunt in ecclesia pontificia miracula, à quo potiùs, quàm ab isto Deo fierent, qui

qui ſi virtute tantum valeret, quantum authoritate præſtat, nullum locum miraculis ſuis vacuũ relinqueret? Sed ita eſt, quemadmodum de Papa quodam narratur, cui vim ingentem pecunię oſtentanti, & ſe poſſe dicere affirmanti, quod Petrus non potuit, *Aurum & argentum eſt mihi*, quidam reſpondit, proinde quod mox Petrus dixit, non potes dicere: *Quod habeo, hoc tibi do, In nomine Ieſu, ſurge & ambula*. Nihil enim illi poſſunt, niſi pecuniam facere, & horum miracula in pecunijs cumulandis omnia conſiſtunt. Nã pontificij θαυματουργοὶ, & τερατοποιοὶ, aut quidam obſcuri ſunt homunciones, ſi qui omnino nunc reliqui ſunt, quod non exiſtimo, aut in Indiam ex hoc orbe commigrarunt, vt cum monſtris innumeris confligerent, & miraculorum ſuorum famam inde ad nos vſq; tranſmitterent. Equidem non ignoro multa in circulis de veſtratum quorundam miraculis iactari, quæ à nonnullis vera eſſe creduntur. Mihi nondum licuit quenquam conuenire, qui pontificium vllum certum, miniméque dubium miraculum viderit. Et velim veſtrûm aliquis prodeat peritiſſimus miraculorum Architectus, qui ſuis miraculis noſtram refellat, pontificiam de religione ſentẽtiam cõprobet. Næ hic multum nobis detrimenti, põtifici ſuo commodi afferret.

Sed ſint illa vera Sandere, quæ de quorundã pontificum miraculis commemoras. Et ſi fateor (dicam enim quod ſentio) illos Gregorij dialogos mihi quidem non probari: ita ſunt in-

credibilibus & non necessarijs visis, miraculisque pleni. Gregorius verò septimus, si fecit miracula, minus certè tuorum pontificum miraculis tribuo. Quid enim de hoc Hildebrando Abbas Vrspergensis, & Benno Cardinalis, & Platina scripsit prodiderunt, non ignoras: quæ si vera sint, nescio an quisquam hoc pontifice improbior homo vnquam extiterit, quem etiam duobus concilijs Wormaciensi, & Norico damnatum esse constat. Hic si miracula fecit, mirũ non est: Fuisse enim Magus, & artis Necromanticæ peritissimus, librumque Necromanticum semper secum circumtulisse fertur. Huius ergo miracula, si quæ erant, diabolica fuisse quis dubitet. At id Sanderus negat, & fieri nullo modo potuisse demonstratione concludit. Ea sic habet: *Antichristus non faciet miracula in nomine Christi: pontifex quas res mirandas patrauit, in Christi nomine patrauit, Non est igitur pontifex Antichristus.* Sophisticè, vt semper. Primùm enim inter rem mirandam, seu mirabilem, & miraculum multum interest. Sunt miracula omnia mirabilia, non contra, quicquid est mirabile, pro miraculo habẽdum est: ita, vt mirabilia multa pontifex faciat, quemadmodum quotidiè facit, tamen alias res efficiat oportet, si vult de miraculis gloriari. Deinde quòd Antichristum negas in Christi nomine miracula facturum, ὁμωνυμίαν habet. Si enim Christi nomine virtutem ac potentiam Christi significas, assentior: quę enim miracula Antichristus facit,

Sata-

Satanæ ſubſidio facit. Sin verò ſtatuis, ne nomen quidem Chriſti in miraculis Antichriſti poſſe adhiberi, id ſumis, quod nemo dabit, tuæque demonſtrationis fundamentum in ſolo alieno ponis. Quanquam enim Ieſum eſſe Chriſtum Antichriſtus negabit, nō tamen aut Chriſti, aut Ieſu nomen ipſum tollet, quemadmodum à vobis ineptè litigatur. Non nomen Chriſti Antichriſtus, ſed vim & munus oppugnabit, atque hoc modo Chriſtus veriſſimè negatur, quando illi nomen relinquitur, officium detrahitur.

Nec quidem exiſtimandum eſt, quicquid prẹfato Chriſti nomine geritur, id totum Chriſti authoritate atque auſpicijs fieri. Nec tibi licet iſto modo concludere, pontifex, quando miracula facit, Chriſtum nominat, pontificis igitur miracula diuina procul dubio ſunt, Satanica eſſe non poſſunt. Quis enim Magos neſcit, qui ſummam cum Satana conſuetudinem & commercium habent, quando diuinationes ſuas malitiæ potentiæque diabolicæ plenas aggrediuntur, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomina in illis ſuis execrandis Exorciſmis vſurpare, vt non tam rogare Dæmonem, quàm interpoſito Dei nomine cogere videantur? Atque vt vel maximè conſtaret, Pontificum miracula nullo Dæmonis cuiuſquam auxilio, ſed ſola Chriſti virtute edita fuiſſe, non tamen id eis ad famam vindicandam ſufficiet. Qui enim interitus vaſa ſunt, Satanæque mancipia, horum ali-

qui sua possunt miracula ipsius Christi nomine
Mat.10.18 facta commemorare. Iudas cum reliquis hanc potestatem accepit, vt miracula faceret: & Christo olim dicturi pseudoprophetæ sunt, *Domine, Domine, nonne per nomen tuum Dæmonia eiecimus, & per nomen tuũ multas virtutes edidimus?*
Mat.7.22. quibus tamen Christus respondebit, *Nunquam noui vos, discedite à me, qui facitis iniquitatem.* Si ergo possunt, Christi nomine ac potentia freti vel perditissimi homines multa interdum efficere non tantùm miraculosa, sed verè etiam miracula: sique Magi, qui se Diabolo totos addixerunt, nihilque faciunt, nisi arte, & ministerio Satanæ, solent tamen Dei nomen in suis maleficijs adhibere, quid ni Pontificem demus miracula sua edere *virtute Diaboli, nihilominus sub nomine Christi*, quemadmodum Magdeburgenses scribunt? Possunt enim qui Satana pleni sunt, quique vel Simonem Magum huiusmodi miraculis superant, Christi tamen nomen, fidemque profiteri, & totam Trinitatẽ inuocare.

Neque, si hoc ita est, sequitur Diabolum dare virtutem ijs rebus, *quæ sub nomine Christi fiunt.* Non enim ideo ista miracula Christi nomine, id est, vi fiunt, quia Christus nominatur ab ijs, qui hæc miracula faciunt. Et nihil hic Satanas contra seipsum facit, imò regnum hoc modo suum auget ac confirmat. Non enim suis rationibus incõmodum esse putat, si nummum vnũ perdit, vt multas libras lucretur. Egreditur euocatus, & eiuratus ab Antichristo Diabolus

bolus: Inuitus, vt videtur, sed omnino tamen volens: sic enim Antichristo fidem & authoritatem conciliat, suumque ipsius imperium amplificat, quia quos videt ad Antichristi partes accedere, eos omnes in suis numerat. Si verò bona fide Satanas Satanam eijceret, tum id fieret, quod Christus ait, vt regnum in se diuisum breui interiret. Nam quod de nuda huius nominis vmbra scribis, nihil pręter vmbram habet. Nullis vmbris, nullis imaginibus, nullis præstigijs Satanas terretur, id quod filij Sceuæ testari possunt, qui Christi nomine ad Dæmones fugandos temerè abusi, pœnas grauissimas dederunt, & malè multati vix mortem effugerunt. Quod autem Christus ait, *qui non est aduersum nos, pro nobis est*, id de eo homine loquutum esse Christum intelligo, qui Christi veram doctrinam prædicabat, eámque miraculis confirmabat. Id si Pontifex faceret, pro Christo staret: nunc quando religionem nouam Christi euangelio aduersariam excogitauit, & miracula, siqua facit, Satanæ ope ac virtute facit, & si interim Christi nomen, vt laruam, suis rebus gestis prætexere solet, tamen à Christo omnium alienissimus est, & nihil in Christi nomine facit, & verus est Antichristus. Sic notabis illam tuam marginis Notam hoc loco nihil valuisse.

Act. 19.16.

Vigesima prima Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quia Papa non edit miracula per artem Magicam in conspectu hominum, vt Antichristus faciet.

N. SANDERVS.
2. Thes. 2.
Triplex Satanæ potentia.



DVENTVS Antichristi (*ait Paulus*) est in omni virtute (*seu potentia*) in signis, & in prodigijs mendacibus. *Potentia verò Satanæ, quæ tota conferetur Antichristo, partim venefica est, & ementita, nulla aliqua veritate, sed sola specie constans: partim prodigiosa est, quæ occultas naturæ viras non excedit: partim denique tyrannica & violenta est, quæ vim corporibus, non item animis, infert. Quod ad ementitam, & fucatam Satanæ potentiam, attinet, illa talis est, qualem in præstigiatoribus videmus esse. Et hac quidem tum Satanas excellit, tum Antichristus primas feret. Vide Theodoretus in illa Pauli verba scribens:* Ea (*inquit*) quæ futura sunt, Paulus docet, non fore vera miracula. Talia autem faciunt & Præstigiatores: ostendunt enim aurum, quod verè aurum non est. *Ad hoc genus miraculorum Aretas illud refert, quòd in Apocalypsi de Antichristo scribitur,* Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum. *Vbi Aretas verba illa* (in conspectu hominum) *sic interpretatur,* intuentium oculos fascinando: *quodq; sequitur:* Datum est illi, vt daret spiritum imagini Bestiæ, & vt loquatur Imago Bestiæ; *Aretas putat imaginem bestiæ vere loquuturam esse, sicuti per Apollonium magum, aliósque eiusmodi artifices tum arbores, tum aquæ dicuntur loquuta. Quapropter Mystica illa interpretatio, quam Bullingerus & cæteri protestantes his locis accommodant, vt ea Romano Pontifici quoquo modo conuenire persuadeant, non est propria huius loci, cum hîc agatur, non de spiritali & interna potestate, quam Antichristus nullam habet, sed de illa, quæ* in cõspectu & auribus hominum *necessariò exercetur, vt per istos sensus externos, opinionem quandam de potestate & diuinitate Antichristi multitudo imbibat. Nunquam verò legitur, quispiam*

Apocal. 13.

spiam Romanorum Pontificum conatus esse, vt ignem in conspectu hominum descendere in terram faceret. Nunquam eorum quispiam curauit, vt imago Bestiæ loqueretur. Nunquam illi Præstigiatricem illam artem in conspectu hominum exercuerunt. Nam si quis fortè illorum curiositate ista priuatim delectatus est, tamen neque in conspectu hominum *quippiam eiusmodi fecit, neque gloriam inde aut famam aucupatus traditur, imò timuit potiùs infamiam, & ideò lucem fugit. Caput est, quod cum Antichristus artem Magicam, qua præcipuè vtetur, condemnare non possit: tamen inter omnes constat, Pontifices Romanos nec vnquam artem Magicam, & Præstigiatricem approbasse, sed potiùs eam velut impiam execratos esse, & omnes libros, qui illam artem docent, inter prohibitos & hæreticos retulisse: nec in ista facultate principes & omnium hominum peritissimos habitos esse. Certum verò est, quod Antichristus omni Satanæ potentia instructus, quicquid faciet, ita illud in suo genere omnibus numeris absoluet, vt nihil possit à quoquā mortalium fieri excellentius. Non ita verò excelluerunt Romani Pontifices in arte Præstigiatrice, quam semper oderunt, ac detestati sunt: Non sunt ergo Antichristus.*

Guilielmus Whitakerus.

Discimus quidem ex Apostolo venturum cum potentia, & signis, & prodigijs mēdacibus, & fraude incredibili Antichristum. Vim enim Satanas cum Antichristo suam communicare debuit, vt is signa, & ementita miracula ederet, varijsque ac mirificis ad fallēdum artibus abundaret. Factum hoc omne in ecclesia Pontificia vidimus, in qua Antichristus multis iam sæculis potentissimè regnauit, & nullam fallendi viam prætermisit. Si signa quæritis, & falsa miracula, Sanctorum legendas euol-

XXI.
2. *Thess.* 2. 9. 10.

uite, in quibus infinitam visorum, prodigiorum, præstigiarum, mendaciorum multitudinẽ inuenietis, quæ omnia eò spectant, vt quàm plurimi fallãtur, & falsis de religione opinionibus imbuantur. Hinc enim Idololatria multiplex in Ecclesiam irrepsit, hinc Missarum celebratio horrendi sacrilegij plena, hinc sanctorum inuocatio, hinc statuarum adoratio, hinc purgatorij fictę flãmę, hinc vota pro mortuis, hinc indulgentiarum nũdinatio, hinc reliqua innumerabilium fallaciarũ inuentio manauit. Nullus penè locus fuit, in quo nõ aut diuus aliquis appareret, aut mortua cuiusquam anima viuorum auxilium implorans volitaret, aut aliquod miraculum fieret. Tale hoc fuit regnum tenebrarum, quousque lux Euangelij istas fictorum mõstrorum ac miraculorum nebulas discussit. Tum enim facilè constabat, nihil istis signis fallacius & mendacius fieri potuisse. Quod cum ita factum esse perspicimus, cur non Antichristum hunc agnoscimus, aut quid alias prodigiorum præstigias expectamus, quæ quidem istis, quas vidimus, nullæ maiores esse possunt? Neque enim fieri potest, vt quis vnquam ex fraude fructus tantos capiat, quantos Pontifex Romanus cepit, quantumuis omnes ingenij sui vires ad eam rem contulerit. Ita quod Apostolus de Antichristi signis prædixit, de Pontificio regno verum esse intelligimus, vt vel hoc maximè indicio liceat nobis Antichristum deprehendere, & in ipsum Pontificẽ Romanum rectè incurrere.

Quid

Quid tu nunc, Sandere, affers, quo minus Apostoli vaticiniũ de tuo Pontifice intelligamus? Rem hîc initio partiris, & triplicem nobis Satanæ potentiam commemoras, quam ille totam in Antichristum conferet. Non prorsus totam, Sandere: nisi fortè quicquid potest Satanas, posse etiam Antichristum censes, quod falsum est. Nam Satanas loca omnia potest incredibili celeritate peragrare, quod de tuo Antichristo minimè, opinor, affirmabis. Sed tamen quicquid in hominem conferre Satanas potest, in Antichristum proculdubio conferet, eúmque suis dotibus ornabit, & cumulabit, vt ei nihil ad munus illud deesse videatur. Et quidem illam triplicem de qua scribis potentiam, ementitam, prodigiosam, tyrannicam non dubito futuram in Antichristo singularem: & esse video in Romano Pontifice, & illo regno maximam. De istis ordine deinceps disputas, & primùm ementitam tractas, quam eiusmodi esse dicis, qualem præstigiatores adhibent. Rectè: & Theodoreti interpretationem probo. Etsi enim non omnia Antichristi miracula ementita esse existimo, vt nihil omnino faciat eorum, quæ facere videtur, fictáque omnia sint, quæcunque ab illo facta narrantur, tamen plæraque profectò eiusmodi sunt, vt tantùm speciem quandam miraculorum ementiantur, re nihil aliud sint, quàm meræ præstigiæ. Tales erant illæ statuarũ in ecclesijs vestris progressiones, stationes, risus, nutus, varij motus: animarum lachrymæ, suspiria, pe-

Iob. 1. 7.

titiones, cōfessiones: Christi, Mariæ, Apostolorum crebræ visiones, morborum fictę sanationes, & huius generis mille ludibria, quibus Pōtifex vsus est, vt populum in errore, & superstitione, & erga se obseruantia contineret.

Quòd verò ignem illum de cælo descendentem, cuius Ioannes in Apocalypsi meminit, & bestiæ loquentis imaginem, ad Antichristi præstigias pertinere statuis, in eo tibi non assentior. Fore enim, vt Antichristus ignem de cælo re detrahat, quemadmodum olim Elias fecisse legitur, incredibile est. Sed quemadmodum Elias ignem de cælo deduxit, eóque hostes suos absumpsit, sic Antichristus diuina quadam vindicta, & quasi flamma cælesti suos aduersarios vlturus, ac deleturus significatur. Atque hoc modo Pontifex, si fuerit aliqua iniuria, aut offensione læsus, mox ignem de cœlo deuocat, sua horrendæ Excommunicationis fulmina longè latéque dimittit, quibus aut mollit aduersarios, aut exurit. Quorsum enim nunc Antichristus flammas, nescio quas, de cælo descendere faciat? aut si hæ fictæ flammæ sunt, vt tu fore existimas, cur non æquè de mystico igne intelligantur? Si enim Antichristus pictos ignes ostendet, quid aliud faciet, quàm quod facere Pontifex solet, qui fulmina ementita, & adulterina instar Salmonei cuiusdam fabricatur, eáque in quosuis intorquet, quibus tamen nulli læduntur, nisi qui se læsos arbitrantur. Est enim hic Pontificius ignis omnino pictus, & quan-

quanquam non ita pridem ardere vehementiſſimè viſus eſt, nunc tamen totus quodammodo refrixit, & penè extinguitur. Imago autem Beſtiæ, cui vitam Antichriſtus inſpiraturus dicitur, non vlla eſt lignea, aut lapidea, aut eiuſmodi omnino ſtatua, qualis in veſtris eccleſijs conſpicitur, & colitur: ſed Romanum antiquum imperium ſignificat, quod in Italia quaſi demortuum Antichriſtus, id eſt, Pontifex Romanus inſtaurauit, & nouo ſpiritu donauit. Atque hoc quidem re, ſine præſtigijs effecit. Quare hæc myſtica interpretatio ex ipſo rerum euentu ducta multò certior eſt, quàm tua, quæ tantùm inani & putida ſuſpicione nititur.

De Apollonio quid Aretas ſcripſerit, parum intereſt: & quæ hic de externa poteſtate Antichriſti, quam in conſpectu & auribus hominum exercebit, ſomnias, pretermitto. Ad Demonſtrationem venio, quæ ſic habet: *Antichriſtus edet miracula per artem Magicam: Pontifex Romanus non edit hoc modo miracula: non eſt igitur Antichriſtus*. Breuis reſponſio ſufficiet. Primùm non omnes præſtigiæ ad artem magicam referuntur, nec qui præſtigiatores ſunt, ijdem omnes magica pręcepta didicerunt. Poſſunt ergo Pontifices innumeras præſtigias adhibere, & tamen à Magicis abhorrere. Deinde Pontifices nonnulli Magicæ artis peritiſſimi fuiſſe prædicantur, quod de Hildebrando, Syluestro ſecundo, alijſque accepimus, eamque artem palàm exercuerunt, & multa ab illis Magicè fa-

cta, commemorantur. Denique vt nullus vnquam Pontifex Magus fuerit (fuisse autem multos dubium non est) tamen Antichristus esse potest, hoc est, Caput regni Antichristiani. Non enim quicquid de Antichristo legitur, ad vnum hominem accommodatur, vt vnus homo sit Antichristus, eaque omnia habeat, quæ Antichristo scripturæ tribuunt: sed Antichristus totum illud regnum est, quod Pontifex suum esse gloriatur, suisque legibus regit, & gubernat, vt nos verissimè contra illud vnius hominis Pontificiũ figmentum defendimus. In hoc regno extruendo & confirmando, sese vis Satanæ declarauit, omnésque illæ prestigiæ signorum & miraculorum mendacium, quibus Antichristum Apostolus vsurum prædixit, explicatæ sunt. Nec quicquam valet quod libros Magicos, artemque præstigiatricem Pontifex damnat. Nam Saulus Pythones & Ariolos lege publica excindi iussit, quos tamen priuatim ipse consuluit. Ita quanquam Magos Pontifex verbo tollit, tamen falsa miracula à suis edita probat, & præstigias ad fraudem comparatas pro veris signis ostentat, & qui horum prodigiorum veritatem ri-
1. *Sam.* 28. dent, tollendos de medio curat. Quare quod Apostolus de Antichristi mendacibus miraculis scripsit, id Pontifici, regnóque Pontificio conuenientissimum esse perspicimus.

Vigesima

Vigesima-secunda Demonstratio quòd Papa, qui per secretas naturæ vires, aliqua prodigia non operatur, non sit Antichristus.



ALTERA via & ratio, qua per Satanæ potentiam prodigia quædā operabitur Antichristus ea est, dum occultas rerum causas (quas Angeli & Dæmones accuratius noverint) in lucem certis quibusdam modis producet. Cum enim Diabolus optimè perspectum habeat, quàm stupendas res illa velut secreta naturæ contineant, quidque Elementorum commixtiones, & varia aliarum eiusmodi rerum seminariæ rationes efficere queant, hanc omnem facultatem (Deo permittente) Antichristo suo tradet. Atque huc sanè referri possunt illa miracula, quæ sapientes & Magi Pharaonis operati sunt in illa sua contentione, cum Moyse & Aarone. N. SANDERVS.

Certum quippe non est, quod illi Magi solùm præstigias spectantium oculis adhibuerint, cum scriptura dicat: Magorum etiam virgas in Dracones versas esse, & eos aquam vertisse in sanguinem. Et eduxisse ranas super terram Ægypti. *Quod autem scriptura factum esse narrat, difficile est, vt negemus factum esse, aut in specie sola, & nullo modo reipsa factum esse dicamus. Itaque Augustinus de istis rebus disputans:* Insunt (*inquit*) corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cū data fuerit oportunitas temporalis, atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. *Quæ etiā de re multò latiùs tractat in lib. 3. de Trin. cap. 7. & 8. Hæc autem potentia quæ naturalem Satanæ intelligentiam non superat, quæq; per eum Antichristo communicabitur, in summo gradu non ita est communicata Pontificibus Romanis, vt ij soli vicerint omnes mortales in hac occulta philosophia. Quin potius Agrippa, & Cardanus, & Paracelsus, & multi præterea tum Græci, tum Latini scriptores, vel singuli hac in re plus laborârunt & profecerunt, quàm omnes simul Romani Pontifices, qui ab ætate D. Petri vsque ad hunc diem in Ecclesia Ro-*

Ex. 7. & 8.

In quæst. super Exod. cap. 21.

mana ſederunt. Itaque cum certiſſimum ſit Antichriſtum in hac prodigioſa facultate omnes qui vſpiam ſunt aut fuerint, à tergo relicturum; alij verò permulti Romanos Pontifices in hac arte vicerunt, imò nullus Romanorum Pontificum vel tenuiter in ea verſatus eſſe reperiatur: ſatis perſpicuè vel inde elucet Papam non eſſe Antichriſtum.

Guilielmus Whitakerus.

XXII. POtuit hoc argumentum cum ſuperiore cõiungi, quia nihil habet, quod vel Demonſtrationem ſeparatam faciat, vel nouam reſponſionem poſtulet. Nec ſatis ſibi Sanderus conſuluit, quando ſic conciſè ac minutè demonſtrationes ſuas proponere voluit. Quæ enim contractæ, ac conglobatæ valere nonnihil potuerunt, eæ nunc diuulſæ vim exiguam habent: & vis vnita fortior, diſſoluta debilior eſſe ſolet. De Magicis Antichriſti miraculis fictiſque ſignis accepimus, quibus vſum eſſe Pontificem Romanum, totique pene orbi oculos perſtrinxiſſe, intelligimus. His enim omnes eccleſiæ Romanę partes plenæ erant, & nullus ferè locus fuit, in quo non aliquid inuſitatum, ac ſtupendum proferri, narrariq́ue potuit, & quantum his præſtigijs Pontifex profecerit, quamq́ue impudenter humano generi illuſerit, tota eccleſia teſtatur & dolet. Nunc de prodigijs, quæ occultis naturæ viribus fiunt, dicere Sanderus inſtituit, vt ex eo Pontificem non eſſe Antichriſtum concludat, quia non eſt in abditis

rerum

rerum causis peruestigandis plurimum versatus, nec quas quæque res secretas, ac miraculosas vires habeat intelligit. Talem enim Sanderus hominem fore Antichristū somniat, quales ij sunt, qui in natura perscrutanda studium atque operam posuerunt, & tam mirificè in hac rerum indagatione profecerunt, vt multa fieri ab illis prodigiosè videantur. Ita de Magis Ægyptijs legimus, quibus similem & superiorem fore Antichristum Sanderus statuit. Et quidem quod de Magorum prodigijs scribit, non improbo. Etsi enim nonnulli præstigijs tantùm quibusdā vsos illos esse Magos existimant, vt imaginem duntaxat rerum obiecerint, nihil verum & solidum ostenderint, tamen multò magis inducor, vt credam, sic omnino rem esse gestam, quemadmodum scriptura narrat, non modò ad speciem, sed ad ipsam veritatem. Quanam autem hoc ab illis factum fuerit ratione, id dubium esse potest. Sandero placet, vt occultam quandam philosophiam Magis tribuamus, qua illi sic elementa commiscere, viresque rerum seminarias elicere potuerunt, vt mox serpentes, sanguinem, ranas veras produxerint. Quanquam non facilè persuaserit Sanderus, vlla hoc fieri posse philosophia, vt quis subitò ex veris causis serpentem procreet, aut aquas cruentas faciat, aut ranarum multitudinem introducat. Hoc naturam & philosophiam, quantumuis occultam, superat. Itaque allatos aliundè serpentes & ranas & sanguinem potius crediderim à Satana,

qui Magis operam ſuam cõtra Moſen nauauit, quàm vt hæc ab illis arte quadam recondita, & ſumpta ex naturæ principijs iudicarim. Vtcunque ſit, res fuiſſe geſtas ſentio, & illos Magos Satanæ ope ac vi vſos eſſe non dubito: Et talem fuiſſe Simonem Magum, alióſque nonnullos exiſtimo. Agrippæ, Cardano, Paracelſo an feceris iniuriam, ipſe videris: nihil certè hoc totum, quicquid eſt, ad Antichriſti rationes pertinet. Nunquam enim, Sandere, euinces certum quendam Magum fore Antichriſtum, quales aut illi erant Ægyptij, aut reliquos fuiſſe ſuſpicaris, quorum meminiſti. Sufficit vt in hoc regno, cui Pontifex Romanus præeſt, huiuſmodi prodigia fuerint, qualia Apoſtolus commemorat, quantumuis ipſe Pontifex vel Magicæ, vel occultæ philoſophiæ ignarus ſemper extiterit. Et tamen ſi vera ſunt, quæ de nonnullis ſcribuntur Romanis Epiſcopis, ſatis conſtat præclarè fuiſſe in his occultis ſcientijs eruditos. Sed ſint ipſi harum rerum imperitiſſimi, & nihil vnquam prodigioſum effecerint, quæ tamen alij fecerũt infinita, vt hoc modo religionem, & tyrannidẽ Pontificiam ſtabilirent, ea ab ipſis Pontificibus fieri meritò exiſtimari poſſunt. Quare demonſtratio hæc tua, *Antichriſtus prodigia per ſecretas naturæ vires & occultam philoſophiam operabitur: id Romanus Pontifex nec fecit vnquam, nec facere potuit, non eſt igitur Antichriſtus*, nihil omnino habet, quod fidem faciat, aut nobis ſuſceptam eripiat de Antichriſto ſententiam.

Vigeſima

Vigesima-tertia Demonstratio, quòd Papa qui nō intelligit ænigmata instar Antichristi, minimè sit Antichristus.



DANIEL *ait*: Cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones seu ænigmata. *Quibus verbis docemur Antichristum illa seculari scientia refertum fore, quam curiosissimi quique viri maximè admirantur. Ille enim exponet Virgilianum illud ænigma, & alia eiusmodi:* N. SANDERVS. Daniel. 8.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spacium, non amplius, vlnas.

Horum quippe ænigmatum scientia coram hominibus peritum hominem inflat, cum re vera, nihil magnum in recessu habeat, Cum verò abundè constet, Papam non æquare, nedum excellere vel mediocres Grammatistas, aut Philosophastros in hac arte: constat etiam, illum non esse Antichristum.

Guilielmus Whitakerus.

AGnosco tuum, Sandere, in Demonstrando acumen, tuóque Pontifici gratulor, qui talem nactus sit, támque mirificum patronum. Si seriò disputas, admiranda est illa ingenij tui malitia, quæ nihil, quantumuis incredibile, prætermisit: Sin iocaris, id malim in alia causa facias. Antichristum hactenus præstigijs, & prodigijs præstantem descripsisti, qualem cogitatione tua fingere potuisti: nunc aliá Antichristo facultatem tribuis, quæ quamquam non est admodum præclara, ei tamen aliquid XXIII.

ad fucum faciendum adiumenti afferet. Ænigmatum enim tantam in Antichristo, tamque diuinam intelligentiam ac scientiam fore existimas, vt illud Virgilianum explicare possit, *Dic quibus in terris*, & quæ sequuntur in illo rusticano carmine: Quod quidem non valdè erit Antichristo ad laudem atq; existimationem illustre. Hæc enim atque huiusmodi tritissima sunt, & à quouis possunt triobolari pædagogo intelligi, & exponi, vt in ijs discutiendis atque interpretandis, non sit necesse Antichristo multum laborare. Et tuo Pontifici nimium detrahis, quādo illum *Grammatistis* quibusuis indoctiorem facis. Vide enim obsecro, quemadmodum hoc ei conueniat, qui omnem habet scientiam in scrinio pectoris reconditam. An, qui potest de summis mysterijs respōdere, eum esse ænigmatū ignarum existimemus? Sed quorundam Pontificum inertia atq; inscitia hāc tibi vocem expressit: Ita enim aliqui indocti erant vt vix Grāmaticam degustarint, aut loqui latinè potuerint. His omnia quidem Virgiliana erant ænigmata.

Alphon. lib. 2. cap. 4.

Dan. 8. 13.

Daniel autem Propheta de Antiocho Epiphane loquutus est, quem astutum, & cautum, & fallaciarum peritum fore significat. Iam ista ad Antichristum accommodare, & hinc isto modo demonstrare, *Antichristus exponit ænigmata, Pontifex Romanus non exponit ænigmata, ergo non est Antichristus*, quid aliud est, quàm scripturæ oraculis abuti, & Antichristo ficulneum folium prætexere? Quanquam arte quadam Pontifex

efficit,

efficit, vt res occultissimas, & quouis ænigmate obscuriores intelligat. Vt enim Philistæi Samsonis vitulâ arabant, eiusque hoc modo problema inueniebant: sic Confessores Pontifex adhibet, quibus tanquam vitulis suis, quid quisque aut fecerit, aut dixerit, aut cogitarit, indagare solet. Verùm vt Dauus sit Pontifex, non Oedipus, tamen Antichristus esse potest: & nullum scriptura verbum fecit, ex quo fore Antichristũ ænigmatum tam solertem interpretem intelligamus. Itaque verum Antichristum teneamus, hunc Sanderi σοφιστὴν, & αἰνιγματώδην Antichristum dimittamus. *Iudic. 14. 19.*

Vigesima-quarta Demonstratio, quòd Papa, qui ministros & Tortores miracula operantes non habet, minimè sit Antichristus.



N. SANDERVS.

IN Apocalypsi non modò Antichristus ipse *docetur signa editurus, verumetiam* Bestia *seu multitudo impiorum, quæ pares Antichristo. Vnde etiam Christus:* Exurgent (*inquit*) Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi. *Pseudoprophetæ autem isti quanquam per singula ferè secula extitisse leguntur, in maxima tamen copia sub Antichristo erunt: quo tempore etiam tortores ipsi & carnifices Antichristi, miracula facient.* Pensemus (*inquit Gregorius*) quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando Pius Martyr & corpus tormentis subijcit, & tamen ante eius oculos tortor miracula facit? Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? *Talia signa in Romani Pontificis tortoribus* (*quos* Apoc. 13. Mat. 24. In Iob. lib. 32. cap. 12.

tamen nullos habet) non elucens: qui more cæterorum istius Ecclesiæ Antistitum, & fidem quam accepit, prædicat, & Sacramenta solenni Maiorum more administrat: nec aut ipse, aut ministri eius in signorum potentia confidunt.

Guilielmus Whitakerus.

XXIIII ANtichristum ipsum multa miracula facturum Sanderus suprà docuit, quod nos etiam ex Apostolo verum esse cognoscimus. Quid amplius, Sandere, postulas? Non modò, inquis, ipse Antichristus signa edet, verùm etiam *Bestia*, seu multitudo impiorum, quæ paret Antichristo. Esto, vt dicis: Et hoc quoque tibi demus, téque contra tuum Pontificem differentem quiduis concludere sinamus. Nam *Bestia* illa ipsum Antichristum significat, quemadmodum tûte nosti. Antichristus enim ille est, qui ignem de cœlo detrahet, vt te iamdudum confitentem, accepimus: at Bestia esse dicitur, quæ hoc ipsum faciet. Hæc igitur Bestia est Antichristus. De ministris verò & tortoribus Antichristi, etsi nihil eiusmodi legimus, quale affers, vt ex eo nouam Demonstrationem conficias, tamen quando ita vis, assentior. Antichristus enim & pro capite κατ' ἐξοχὴν accipitur, & pro toto corpore possunt ergo fratres, Monachi, sacrifici, & huius ordinis reliqui non immeritò dici ministri, & tortores Antichristi. Etsi enim corpus integrum Antichristus est, è Pontifice Romano, cæterisque Pontificijs membris conflatum,

flatum, quia tamen Pontifex princeps est, & caput reliquorum, cunctíque alij Pontifici, tanquam suo Domino inseruiunt, & ille Antichristus, & hi eius ministri iure optimo censeantur. Iam si ab his fieri miracula negas, quomodo ecclesiæ Pontificiæ miracula defendis? Nam edere miracula ipse Pontifex iamdudum desijt: Siqua ergo fiunt, ab his ministris fieri necesse est. Et horum Pseudoprophetarum maximam sub tuo Pontifice multitudinem fuisse, atque esse intelligimus. Tortorum verò hîc nullam mentionem fecisses nisi in Gregorio verbum illud reperisses. Quæso enim Sandere, vbi tandē scriptura Antichristi tortores miracula edituros indicauit? Aut si id nusquam scriptura futurū docuit, quæ hæc Demonstratio est nullis scripturis freta, *Ministri & tortores Antichristi miracula edent, Pontificis ministri & tortores, nulla miracula edunt, Pontifex igitur non est Antichristus*? Quę in fine huius Demonstrationis subiungis, multis modis falsa sunt. Primùm enim Pontificem constat & tortoribus, & tormentis exquisitissimis abundare: Testis sit *Inquisitio* illa Hispanica, & Pontificiæ iniquissimæ & crudelissimæ leges. Deinde nec fidem prædicat Pontifex, nec Sacramenta maiorum more administrat. Quanquam si verè loqui volumus, Petrus & reliqui deinceps fideles ecclesiæ Romanæ episcopi, qui fidem prædicabant, & Sacramenta procurabāt, & Pastorum munus diligentissimè præstabant, horum Pontificum, qui hæc omnia à se aliena

esse statuunt, Maiores haud quidē erant. Quid enim Pontifex prædicat, aut quæ Sacramenta administrat? Siccinè Petrus, sic Clemens, sic alij Maiores factitabant? dici præ pudore non potest. Postremò, nónne miraculis confiditis, quando ecclesiam vestram, quia habet miracula, veram: contrà nostram, quia caret, falsam esse disputatis? Aut iam minus, quàm soliti estis, miraculis vestris confiditis? Nos verò nec Pontificis, nec eius ministrorum, aut tortorum miracula vel tanti facimus, & omnibus antè supplicijs torqueri, quàm hunc non esse Antichristum, fateri volumus.

Vigesima-quinta Demonstratio, quòd Papa, cuius Apostolatus signa omnes naturæ vires longo interuallo superant, non sit Antichristus.

N. SANDERVS.



VDIVIMVS cuiusmodi futura sint prodigia, quæ Antichristus operabitur. Videamus iam qualia sint illa miracula, quæ Antichristus operari non poterit. Nisi enim essent quædam talia, quæ neminem fallere, aut seducere possent, non dixisset filius Dei: Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. *Quæcunque igitur miracula per solam potestatem diuinam super totius naturæ vires fiunt, ea non potest facere Antichristus quia is non venit in nomine* Dei Patris: *hoc est, cum aliqua diuina potestate, sed secundum operationem Satanæ in proprio nomine & authoritate. Quid ergo Pontifices Romani? verùm aliqua miracula operati sint, quæ solùm diuina potestate fieri potuerint? Fecerunt quidem talia*

Ioan. 5. & 10.

2. Thes. 2.

non-

nonnulli eorum, vt Ioannes Papa, Agapetus, Gregorius Magnus, & alij permulti. Sed cum mihi iam non sit in animo, singulorum (quibus hæc gratia diuinitus tributa est) res gestas percurrere: tantùm illa recensebo, quæ ad totam Pontificum seriem ex æquo pertinent. Res admiranda meritò visa est sanctis Patribus, quòd duodecim Idiotæ, neque armis, neque scientia, neque eloquentia humana præditi, mundo vniuerso persuaserunt, vt dijs omnibus, ac superstitioni auitæ, vt luxuriæ, ambitioni, auaritiæ, cæterisq; voluptatibus seculi renuntians, in Crucifixum crederet, Pœnitentiam ageret, per angustam viam intrare contenderet, ac denique in humana carne Angelicam vitam agens, inuisibilia ijs, quæ videbantur, anteferret. Si hoc erat solius Dei & non Satanæ opus: quis neget illos Pontifices Romanos, qui per annos millequingentos in vinea Domini tam fructuosè hanc ipsam rem ab Apostolis inchoatam, continuarunt & sarctam tectam hactenus tutati sunt, Dei solius, & nullo modo Satanæ administros fuisse? Verum Dei miraculum.

Principio cum duodecim Apostoli debuerint aggredi vniuersum orbem, caput orbis tunc erat vrbs Roma, ob imperium potentissimum, quod ibi vigebat. Caput igitur Apostolorum Petrus, ad caput Romani destinatur imperij, vt cuius Apostolici chori singula membra inferiores quasdam gentes Christo subijcere debebant, eiusdem chori princeps principem locum suo domino subiugandum sortitò caperet. Petrus verò etsi cum Coapostolo & adiutore suo Paulo præclarissima huius victoriæ fundamenta in vrbe Roma iecerat, non tamen vniuersam vrbẽ reliquit Christianam: vt ne putares, Apostolos tantùm ac non etiam successores eorum Christo hac in causa vtile ministerium præbuisse. Cum igitur Successores tam fidem, quæ in vrbe Roma primùm ab Apostolis prædicata est, paulatim semper disseminârint, ac auxerint donec vniuersam vrbem, nec vrbem tãtùm, sed præterea totum Occidentem, & Septentrionem, deturbatis vbique Idôlis, Christo subiugarent: certumque sit non alium dedisse incrementum huic operi, quàm eum, à quo primùm diuinitus inchoatum erat: negari non potest, quin latissima hæc fidei Catholicæ per Italiam, Ciciliam, Gallias, Hispanias, Britannias, Gothiam, Daniam, Germaniamq; omnem diffusio, & propagatio, quæ Pontificum Romanorum opera potissi- I.

mum facta est, & conseruata verum Christi miraculum, & non
Vera Pontificũm Romanorum miracula. *fictum aut mendax Antichristi portentum existat. Romani ergo Pontifices ministri sunt Christi, & non præcursores Antichristi, multóque minùs ipse Antichristus. Quàm præterea stupendum*
II. *illud atque admirandum est, quod cum cæterorum Apostolorum successiones vbique defecerunt: sola tamen Ecclesia Romana tot seculis immota perseuerans, plusquam ducetos & 30. Pontifices enumerat, quorum neminem aut Archihæreticum viderit, aut hæresim aliquam è Cathedra Petri docentem audiuerit? aut si fortè quispiam vnus prauum aliquid, vel secretò sensisse, ac literis mandasse dicebatur: illum in ea re vel imitata sit, vel patienter vnquam tulerit, sed vsque ad generis humani, & totius orbis notitiam restiterit semper, ac reclamarit, donec dispersa & prorsus effugata omni erroris nebula, Catholicæ veritatis lux tum in Candelabro Ecclesiæ Romanæ palam constitueretur, tum inde omnibus, qui in domo Dei essent, perspicuè reluceret. hoccine Antichristi opus aut prodigium fuit? Quid ergo simile*
III. *Christus fecit? Perpende mihi iam & istud quod nullus vnquam illustris Episcopus, aut Pastor fuit, vel de Græca olim, vel vnquam de latina Ecclesia, qui non & vixerit, & mori elegerit, in communione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ? Qui tamen omnes ab Antichristo abhorrebant, quia Christum super omnia dilexerunt. Certè consensus ille tot virorum tam insignium non nisi à Spiritu sancto esse poterat, qui facit* vnanimes in domo, & idipsum sapere in domino. *Hæc igitur vera Christi Iesu miracula cùm in Ecclesia Romana effulgeant, vereor ne illi peccent in Spiritum sanctum, qui res tam diuinas non dubitãt inter fucata, & ementita Antichristi portenta collocare. No-*
Iacob. 1. *bis autem qui credimus*, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse, ac descendere à Patre luminum, *necesse est confiteri, quod cum in Ecclesia Romana sit perpetua & nunquam interrupta iam inde ab Apostolis ad nos vsque tam doctrinæ Apostolicæ, quàm Pontificum successio, cum ibi semper fuerit, hodiéque sit donum conuertendi paganos, cum nulla vnquam hæresis illic recepta & approbata fuerit: Cum omnes Catholici Patres eandem omni ætate coluerint, & obseruârint, illius Ecclesiæ Pontifices nullo modo possent esse ipse Antichristus.*

Guilielmus

Guilielmus Whitakerus.

CVius modi essent Antichristi miracula, satis edocti sumus, qualium longè maximam in ecclesia Romana fuisse copiam, memoria testatur, Et quanquam Sanderus argumentum hoc diligenter, & variè tractauit, nullum tamen inter miracula Pontificia, atque ea, quibus vsurum Antichristum scriptura monuit discrimen reperit. Nunc viam aliã ingredi instituit, qua tamen ad eundem finem perueniri posse sperat. Postquam enim, quæ Antichristus miracula faciet, ea nequaquam à Romano Pontifice fieri contendisset, nunc contrà Pontificum miracula commemorat, quæ fieri ab Antichristo nunquam poterant, Ita si nec facit Pontifex, quæ facit Antichristus, & quæ non facit Antichristus, Pontifex facit, non erit Pontifex Antichristus. Si enim esset, eadem & faceret, & non faceret Pontifex, quæ vel potest, vel non potest Antichristus: & Nominum hæc esset non rerum differentia. In altero Pontifici cum Antichristo præclarè conuenire perspeximus. Nunc siquid in altero dissentaneum sit, videamus. Et primùm esse quædam miracula fateor, quibus Antichristus nulla potest similia præstare. Multa enim Christus, multa Apostoli, multa alij diuina virtute præditi viri fecêrunt, quæ frustrà aut Satanas, aut Antichristus conentur imitari, Cæco nato visum præbere, aut mor- XXV.

tuum vitæ ac valetudini verbo restituere, non omnes Antichristi, Magi, Dæmones possunt. Et quidem si propriè loqui volumus, miranda potiùs, quàm vera miracula sunt, quæ isti faciunt, solúsque Deus, & quibus hanc facultatem Deus communicauit, edere miràcula, & rerum naturas sine fuco, ac fraude mutare possunt. Quæ enim operâ Satanæ fiunt, vel nihil minùs sunt, quàm quod videntur esse, vel ex causis gignuntur, occultis quidem, & proinde mirabilibus, proprijs tamen, & ad res illas efficiendas idoneis. Quæ ergo eiusmodi sunt, vt naturæ leges superent, nec vllas in natura causas habeant, ea maiora sunt quàm vt possint à quoquam fieri, qui aut Deus non sit, autor paréntque naturę, aut potentia diuina instructus, Deíque nomine & authoritate armatus. Ex his tua hæc demonstratio nata est, *Antichristus nulla miracula faciet, quæ sola Dei potestate fiunt, & vires naturæ excedunt: Pontifex Romanus ea facit, quæ omnes naturæ vires longo interuallo superãt, non est igitur Antichristus*. Longior es in hac Demonstratione exornanda, quàm fuit necessarium. Ego rationum tuarum momenta expendam: non verborum flumina consectabor. Breuiter sic ad hanc egregiam Demonstrationem respondeo: Ex quo Pontifex Romanus esse Antichristus cœpit, nihil ab eo gestum est, quod vires naturæ superaret: atque vt gestum aliquid fuisse fateamur, scimus hanc miraculorum vim reprobis etiam, & Satanæ ministris nonnunquam esse datam.

datam. Gregorius Magnus, *Nolite*, inquit, *fratres amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia*. Et qui doctrinam falsam defendunt, interdum possent res mirandas, & omnium opinione maiores efficere. Fausto Manichęo Augustinus respondit, *Miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus.*

Gregor. in Euangel. Homil. 29.

August. cõtra Faustum lib. 13. cap 5.

Verùm antiqui Pontifices Romani à recentioribus distinguendi sunt. Fuerint illi, vti erant, sanctissimi & miracula infinita fecerint: nihil illorum virtutes, aut miracula ad nostros Pontifices pertinent. Erant hæ certorum hominum dotes singulares, nec successione ad posteros transiêrunt. An quia illi viri erant eximij, qui olim in ecclesia Romana sederunt, non nunc tam multis pòst sæculis in eadem ecclesia sedere poterit Antichristus. Vtcunque erant sancti, illis tamen Christus sanctior fuit: At in eodem templo, in quo Christus & infans ex lege oblatus est, & adultior cum magistris Hierosolymitanis disputauit, & post sæpissimè docuit, sessurum Antichristum defenditis. Nihil ergo pontifices Antichristianos Maiorum virtutes iuuant, quarum pars nulla potuit ad ipsos peruenire. Esse hæc infirma sensit Sanderus: Itaque se velle recẽsere dicit, quæ ad totam pontificum seriem ex æquo pertinent. Tria autem Romanæ Ecclesiæ, & pontificum miracula, quæ vim diuinam arguunt, omnésque naturæ vires vincunt, Sanderus proponit, ex quibus Pontificem non esse Antichristum concludit. Primo loco, 1.

mundi ad Christum transitionem numerat, quã Romanorum Pontificum operâ imprimis factã esse statuit, & multa hîc Sophisticè, ac superuacaneè disputat. Responsionum capita attingam. Primùm igitur, etsi non ignoro hoc, quod dicis, ab antiquis patribus, pro miraculo censeri, tamen si miraculi naturam spectamus, & restrictè loqui volumus, miraculum non est. Hominem enim ex infideli fieri fidelem, quanquam est opus diuinum, tamen nonnihil discrepat à miraculi ratione. Non enim quicquid est æquè & arduum & mirabile, atque est miraculum, tamen in miraculis ponendum est. Augustinus habet, *Magis miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinque mille hominũ de quinque panibus*. Mundi tamen gubernatio propriè miraculum non est. Perinde est, quod Chrysostomus scribit: *Si ex auaritia in liberalitatem transiêris, siccam & mancam manum recuperasti: Si theatralibus ludis spretis relictísque, cœtus ecclesiasticos petieris, claudicanti pedi, incolumitatem restituisti: si oculos tuos ab aliena forma, & à meretricum aspectu, reuocaueris, cæcum te illuminasti: si Diabolicos cantus despexeris, & eorum loco spirituales Psalmos didiceris, iam loqueris, cum antea mutus esses. Hæc sunt maxima miracula, hæc signa eximia*. Quanquam, si volumus miraculum definire, non ex omni parte constabunt, tamen miracula dicũtur ἀναλογικῶς, & sunt maximis miraculis æqualia. Quicquid enim miraculum est, id debet cum vniuersa natura pugna-

August. in Ioan. Tract 24.

Chrysost. in Matth. 33.

re,

re, quod ista non faciunt. Deinde quorsum hæc omnia spectant Sandere? Si hoc, inquis, erat solius Dei opus, quis neget Pontifices Romanos, qui hanc rem ab Apostolis inchoatam continuârunt, Dei solius administros fuisse? ἀπροσδιόνυσα πάντα. Dic enim Sandere: mundúmne Romani Pontifices ad Christum traduxerunt, qui ipsi fidem ab Orientalibus acceperunt? Súntne ecclesiæ Græcæ à Romanis episcopis institutæ? Quis vnquam mundi conuersionem Romano pontifici ascripsit? Nihil Paulus, nihil reliqui Apostoli fecerunt? Vnus Petrus eiúsque successores hoc negotium procurârunt? Monstra hæc sunt, non miracula, quæ dicis. Apostoli omnes in hac vinea Domini diligenter elaborârunt, & euangelium longè latéque sparserunt, nec vel Petrus ipse, vel quisquam Romanus episcopus, tam multas ecclesias fundauit, quàm vnus Paulus, nedum Apostoli vniuersi. Quid hîc Romani pontifices singulare, & proprium habuerunt, vt maiora illis, quàm cæteris miracula tribuamus? De Petro & Roma, quorum illum Apostolorum, hanc imperij caput vocas, non est necesse multa dicere. Sit Petrus caput Apostolorum, non omnium Christianorum: & Roma caput imperij, non ecclesiæ. Quanquam fuisse Romæ Petrũ, & ecclesiæ cum Paulo fundamenta iecisse, sumere pro concesso potes, docere & euincere nullus adhuc Pontificius potuit. Postremò, multum veteres Pontifices in Euangelio propa-

gando laboris insumpserint: quid nostri simile faciunt, aut si quid eiusmodi tentant, doce id communes naturæ vires superare.

II. Alterum huius ecclesiæ miraculum est, perpetua episcoporum successio, quæ à primis temporibus ad hanc ætatē durauit, cum cæteræ Apostolorum successiones vbique defecerint: si cæteræ omnes defecerunt, potest idem isti etiam contingere: & quidem iamdudum horum episcoporum successio desijsse meritò iudicetur. Nam isti Pontifices non magis veri Pontifices sunt, quàm si statuam in sublimi aliquo templi loco collocatam, episcopum esse dixeris. Externam vtcunque hominum successionem non omnino sublatam esse, nullum miraculum fuit. Dum enim vrbs ipsa manet, nec ab hostibus nominis & religionis Christianæ occupatur, episcopos habere potest. Vrbes reliquæ, in quibus Apostolicæ ecclesiæ fuerunt, à Turcis & Saracenis captæ in maximas calamitates inciderunt. Quanquam habent adhuc Græcæ ecclesiæ suum Patriarcham, non in successione quidem Apostolica, sed tamen eiusmodi, quæ ex illo vsque tempore, quo cœpit, nunquam hactenus interijt. Roma etsi venit sæpius in hostium potestatem, tamen religio non fuit ab illis oppressa, nec Pontificum dignitas violata: atque illos ecclesiarum omnium ἀλάστορας Turcas diuina clementia coercuit, ne nomen omne Christianum extinguerent, eóque progredi possent, quò cuperent. Itaque

taque nondum tam longè in Europam grassari, atque Italiam attingere potuerunt. Sed Dei iusta sunt iudicia, ac consilia, quæ ab hominibus stultis, & scripturarum imperitis, aut non intelliguntur, aut aliter accipiuntur. ἀποστασίαν quandam, & regnum Antichristi futurum in ecclesia Paulus prædixit: & sedem certam esse oportebat, in qua princeps nefariæ defectionis resideret, quam si Dominus diutius paulò permanere voluit, idne eius singulari in hunc locum amori tribuamus, aut aliquid hic miraculi subesse suspicemur?

Postremum illud est, quòd ecclesiæ Romanæ communionem omnes antiqui Episcopi, & Pastores summo consensu amplexi fuerint: in quo tamen miraculum nullum agnosco. Erat hæc olim ecclesia fidei, & religionis Catholicæ præstātissima columna, & episcopos habebat veros, nostris Pontificulis dissimiles. Cum talis esset, eius à multis desideratam esse communionem mirum non est, qui si nunc in vitam tanquam postliminio redirent, horum Pontificum, & huius ecclesiæ commercium fugerent. Nec Græci adduci possunt, vt vestram communionem expetant, qui Christi euangelium, quicquid vos de illis iudicatis, multò quàm vosipsi, puriùs profitentur. Sed hos vestra ecclesia pro Schismaticis damnauit, & illi vestrum iudicium contemnunt, malúntque extrema quæque experiri, quàm ad societatem vestram accedere. Nos verò qui sitis, multò, quàm illi, rectiùs in- III.

telligimus, eóque à vobis vehementiùs abhorremus, nec vlla antè communione vobiscum sociari volumus, quàm vos ad Christi communionem, à qua longissimè remoti estis, redijsse perspicimus. Peccare verò in Spiritum sanctum, non est aut Satanæ præstigias deprehendere, aut ecclesiam adulterinam à vera discernere, aut denique Romanum Pontificem vocare Antichristum.

Vigesima-sexta Demonstratio, quòd Papa, non sit Antichristus, quia Enoch & Helyas nondum restiterunt Papæ, qui tamen Antichristo resistent, cum is aduenerit.

N. SANDERVS.

ENOCH *& Helias prædicitur adfuturi sub Antichristi temporibus, vt aduersus tentationes eius Diabolicas populum Dei muniant. Et sanè de Helia manifesta sunt scriptura sacra:* Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam antequam veniet dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram Anathemate. *Christus etiam dixit,* Helias cum venerit primo restituet omnia. *Vnde Chrysostomus cum dixisset Antichristū horribilem futurum à potestate, à crudelitate, & ab iniquis mandatis, mox subiunxit:* Ne metuas in ijs, qui pereunt habebit vires. Nam & Helias tunc veniet, vt fideles communiat. *Eodem etiam accommodantur D. Ioannis verba:* Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. *In quem locum Aretas sic habet:* Fertur ex traditione Præconum Christi, quod inuariabiliter in Ecclesia recipitur, Enoch venturum cum Helia Thesbite. Venient enim ambo vt protestentur ijs, qui tunc erunt, ne fallaci-

Malach. 4.

Mar. 9.

In 2. Thess. 2.

Apoc. 11.

Inuariabiliter hoc recipitur à Catholicis non autem à Protestantibus.

bus

bus Antichristi signis fidem habeant, & in hoc suo testimonio agent ad tempus trium annorum & dimidij. Nam mille ducenti sexaginta dies tantum explent temporis spacium. *Gregorius etiam Magnus*: Antichristi, *inquit*, viam non solùm Elias & Enoch, sed etiam omnes electi arguunt. *Quapropter cum Enoch & Elias nondum venerint, ac multo minus Episcopis Romanis se opposuerint: certum etiã est Episcopos Antichristum non esse. Nam quod Lutherani quidam volunt, Lutherum velut Eliam quendam extitisse, præterquam quod illi ipsi non credunt eum fuisse Eliam Thesbitē, qui expectatur: etiam Zuingliani, & Caluinistæ negabunt, eum fuisse omnino Prophetam, aut Apostolum Christi.* In Iob. lib. 2. cap. 36.

Guilielmus Whitakerus.

XXVI.

MIraculorum locum, qui satis magnam Sandero Demonstrationum segetē subministrauit, præteruecti iam sumus; atque ad aliam nunc præstantissimorum argumentorum supellectilem contendimus. Occurrit autem initio, quod de Elia, & Enocho traditum est memoriæ, quos venire, & Antichristo resistere oportere nonnulli existimant. Sanderi ἀπόδειξις huiusmodi est: *Si Enoch & Elias nondum venerunt, & Pontifici Romano restiterunt; tum Pontifex Romanus non est Antichristus*: at antecedens verum, igitur & consequens. Nullus fallaciarum & Sophismatum finis. Primùm enim, quod Pontificem nō esse Antichristum concludis; quia nondum Pontifici Enochus & Elias repugnarunt, ἀσυλλόγιστον est. Etenim vt hos ad tuum sensum demus in hanc vitam redituros, tamen vt primo quoque Antichristi tempore ve-

demus,

nerint, non est necesse. Ergo fallis περὶ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, quando non venisse Antichristum disputas, quia Enochus, & Elias nondum in medium prodierunt. Quid ni enim poterint illi vltimis Antichristi temporibus venire, vt quanquam multis iam seculis venisse Antichristum defendimus, horum tamen aduentum adhuc expectemus. Hoc primum fuit huius Demonstrationis vitium: alterum est multò fœdius, & manifestum ψευδολογράφημα. Ipsum enim Enochum, & Eliam Thesbiten fingere ex illa cęlesti aula in hanc terram, hominúmque societatem reuersuros, non modò scripturarum authoritate omni caret, sed superstitionem etiam anilem redolet. Et tamen istis insomnijs nostri Pontificij pascuntur, & quicquid est à quoquam incredibilius traditum, id ij verum esse credunt, nec errorem vllum à se alienum esse putant. De Enochi reditu nullum verbum est in omni corpore scripturarum: cur ille Eliæ socius detur causa nulla est, nisi quia integro corpore raptus in cœlum fuit, quemadmodum & Eliam fuisse legimus: Nam Eliæ aduentus clarissimis verbis prędicitur, nec ille solus venturus est, quia duo testes Antichristo resistere debent, quorum cùm Elias, vt volunt, vnus sit, alterum esse Enochum credibile est. Nónne meritò pereat, qui salutem suam istis suspicionibus, hominumq́ue cōmentis suspendat?

At de Elia quid respondemus, quem reuersurum Malachias apertè prædixit? Si id respōdemus,

demus, quod nos respondere Spiritus sanctus docuit, responsum nostrum nulli debet aut indoctum, aut infirmum, aut vlla reprehensione dignum videri. Finge rem esse nobis cum Iudæo, qui Eliæ aduentum clamet, eóque contra nos aliquid concludat: quid huic tam importuno aduersario respondeamus, idipsum profectò, quod Pontificijs verissimè respondemus, Malachiam non de ipso Elia, qui curru igneo subuectus in cœlum fuerat, loquutum esse, sed de altero propheta, qui propter multas similitudines, quas cum Elia communes habuit, Elias appelletur. Hic ille Baptista fuit, de quo Angelus apud Lucam, *Ipse precedet in conspectu eius, cum spiritu & virtute Eliæ*. Luc. 1.17. Atque vt hunc ipsum esse penitus intelligamus, Angelus docet: *Nam hic*, inquit, *conuertet corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum*, id quod illum Eliam facturum Malachias vaticinatur. Quare quem Malachias Eliam significarit, nullus ignorare potest, qui hunc Angelum prophetæ verum, scitúmque interpretem fuisse confitetur. Christus autem multò clariùs illud Iudaicum insomniū & stultam de Eliæ reditu opinionem refutauit: Rogatus enim à discipulis quamobrem *scribæ dicerent, oporteret vt Elias priùs veniat*? Mat. 17. a. verum quidem agnoscit, quod illi obijciebant, *fore vt Elias veniat primùm, & omnia restituat*. Marc. 9.11. Sed quod mox in Matthæo sequitur, in Marco post pauca verba interiecta, rem omnem explicat, *sed dico vobis Eliam iam venisse, quem non ag-* Mat. 17.12

nouerunt, sed fecerunt ei, quæcunque voluerunt. Quis hic fuit, nisi Ioannes ille Zachariæ filius, de quo etiam Malachias in capite tertio disertè
Malach. 3. 1. scripsit: *Ecce ego missurus sum Angelum meum, qui expediat viam ante me.* Sic hunc Eliam Christi primum aduentum præcedere oportuit, quemadmodum & Malachias prædixit, & Iudæi senserunt, & Christus ipse declarat. Nam Christum Scribæ non venisse disputabant, quia prius venire Eliam oportebat, quos non reprehendit Christus, quia Eliam malè, & alieno tempore expectabant, sed quia in homine errabant, & Ioannem illum esse Eliam non intelligebant. Quicquid autem Patres de Elia scripserint, & quamcunque traditionem attulerint, nobis il-
Mat. 11. 14 lud Christi dictum sufficere debet, *Si vultis recipere, ipse est Elias ille, qui venturus erat, & dico vobis Eliam iam venisse.* Et quod Euangelista
Mat. 17. 13 scribit: *Tunc intellexerunt discipuli, quod de Ioanne Baptista dixisset ipsis.* Iterum autem venturum, qui iam antè semel venit, vnde tandem intelligemus? Nam testes illos duos, quorum Io-
Apoc. 11. 3. annes in Apocalypsi meminit, Enochum & Eliam esse, quis propheta significauit? Sed Pontificiæ traditiones nihil ignotum esse patiuntur, & nomina ipsa hominum produnt, quæ in scripturis tacentur. Ita quod nomen fuerit & militis, qui Christum Lancea sua vulnerauit, & Latronum, qui acti sunt in crucem cum Christo, & hospitis illius, cuius in ædibus Christus cœnans vltimam cum discipulis celebrauit, &
horum

horum etiam Testium dicere possunt, si nos illis fidem habere volumus. Aretas seculo recentiore, multísque erroribus pleno vixit, & quanquam sequutus est communem multorũ sentẽtiam, eam tamen ab omni ecclesia inuariabiliter susceptam esse nunquã persuadebit. Hieronymus Malachiam de Ioanne, non Elia loquutum esse palàm scribit, quicquid alibi interdum sentiat. Et Hilarius duos illos testes quos Ioannes Antichristo restituros prædicit, non Enochum & Eliam, sed Mosen & Eliam fore significat. Lutherum verò nos Eliam esse non putamus, nec vllum aut Eliam, aut Enochum expectamus, quia tale nihil ex Dei verbo discimus, & ineptas Pontificiorum, falsásque cogitationes meritò ridemus. Quanquam non Elias Acabo, aut Pseudoprophetis terribilior fuit, quàm Pontifici & Pontificijs Lutherus. Quinam autem illi sint duo testes, euentus ipse docuit, optimus oraculorum interpres. Hi enim duo testes exiguum eorum numerum significant, qui Antichristo, hoc est, Romani Pontificis tyrannidi resistunt. Quales semper aliqui omnibus temporibus, etiam pessimis, fuerunt. Quare fictos Enochos, & Elias, & Antichristos ne moremur, & errare Pontificios, vel seriò, vel ioco sinamus, atque in vera de Antichristo sententia, quam scriptura confirmat, Sanderus oppugnat, persistamus.

Hieron. in Mala. cap. 3.

Hilarius in Mat. cap. 20

Vigesima-septima Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quia hæretici, qui sunt exercitus Antichristi, non pugnant pro Papa, sed potius contra illum.

N. SANDERVS.
Danielis. 11.



NTICHRISTVS *exercitu quodam suo munitur, & roboratur, secundum quod scriptum est:* Et veniet in multitudine magna, vt conterat & conficiat plurimos. *Atque huc sanè pertinet abhominatio illa desolationis, quæ in diebus Apostolorum, velut in typo quodam præcessit, quando Hierusalem terrena circundata est ab exercitu Romanorum. Quod enim dicitur apud Matth.* Cum videritis abhominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto: *Idipsum D. Lucas explicat his verbis:* Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquat desolatio eius. *Exercitus ergo Romanus circundans ciuitatem sanctam fuit typica quædam abhominatio desolationis: sed exercitus Antichristi circundans Ecclesiam, est vera desolationis abhominatio.* Exercitus autem Antichristi (*ait Chrysostomus*) sunt omnes hæreses. *Item* Omnes (*inquit Ambrosius*) sunt Antichristi, qui praua nos interpretatione seducunt, & ideo qui legit intelligat. *At sanè Christus ita miscet* Pseudoprophetarum nomen cum abhominatione desolationis: *vt facilè appareat vtranque rem non multum ab altera differre. Itaque Hieronymus ibidem ait:* Abominationem desolationis, intelligi posse, omne dogma peruersum. *Cum ergo hæreses atque hæretici meritò habendi sint, spiritualis quidam exercitus Antichristi; certè quò quisque longius abest ab hæresibus & hæreticis, eò minus communicat cum Antichristo. Nulla verò ecclesia in toto mundo nominari potest, quæ sit ac semper fuerit ab hæresibus immunior, quàm Romana Ecclesia, quæ nunquam hæresim vllam recepit à Simone Mago vsque ad Martinum Lutherum & Zuinglium. Romanæ autem Ecclesiæ Rector & Pastor Papa est. Papa igitur ab hæresi, & ideo etiam ab Antichristo longissimè abest: nedum ipse Papa est Antichristus.*

Matth. 24.

Luc. 21.

Exercitus Antichristi in oper. imperfecto Homil. 49.
Ambros. in Luc. lib. 10. cap. 21.

Guilielmus

Guilielmus Whitakerus.

QVàm peritè hoc loco scripturas Sanderus adhibeat, vt Antichristi exercitum describat, nullus est qui non videat, nec ego tempus teram, vt demonstrem. Quæ dicit, eò tandem recidunt, vt & exercitum Antichristo tribuat, & hunc exercitum ex hæreticis constare doceat. Id postquam quorundam Patrũ testimonijs, vt solet, comprobauit, Pontificem non esse Antichristum, satis se demonstrasse putat. Sic autem Demonstratio conficitur: *Si exercitus Antichristi constat ex hæreticis, iique pro Antichristo pugnant, tum Pontifex Romanus non potest esse Antichristus, qui semper ab hæreticis longissimè abfuit: verum autem est prius, ergo etiam posterius.* Antichristum olim Gregorius se prospicere Sacerdotũ exercitu armatum dixit, quod ita Pontifici Romano conuenit, vt nihil fingi aptius possit. Habet enim Pontifex ingentes Sacerdotum exercitus qui illi vt duci suo parent, & quoduis pro illius salute certamen subeunt. Nunc Sanderus Antichristo Hæreticorum exercitum assignat, & Antichristum Hæreticorum omnium ducem atque imperatorem facit. Quod ego non tantùm non prodesse causæ Pontificiæ sentio, sed mihi vel maximè ad eandem oppugnandam oportunum esse video. Est enim ἀποστασία pontificia omnium hæreseων sentina, quemadmodum & docui suprà, & olim viri bo-

XXVII

Bernardus de confiderat. lib 4. circa finem.

ni senserunt. Bernardus ad Eugenium Papam, *Si auderem dicere, Dæmonum magis, quàm ouium pascua hæc*. Et Romam Petrarcha *impiam Babylonem vocat, in qua totum orbis venenum fouetur: meretricem execrabilem, hæresium errorúmque Asylum, carcerem vbi bonum extinguitur, & quoduis malum scelestúmque alitur, Christo eiúsque Apostolis rebellem, laruarum ac lemurum domum, scelerum & dedecorum omnium sentinam*. Si talis Roma fuit, non tam longè semper ab hæresibus, & hæreticis abfuit, quàm Sanderus statuit. Quãquam autem non omnes omnium hæreticorum de religione sententias Pontifex probat, tamen hi omnes Pontifici inseruierunt, vt illam cómunem ἀποστασίαν inueherent, cui nunc Pontifex præest, quæ temporibus Apostolicis inchoata, multis pòst seculis perfecta est. Nullam autem hæresim à Romana ecclesia vnquam susceptam esse, quemadmodum Sanderus affirmat, falsissimum est, & omnia omnium mendacia superat. Si enim hæretici sunt, qui errores de religione teterrimos ac perniciosissimos pertinacissimè defendunt, nulli vnquam hæretici nostris Pontificijs αἱρετικώτεροι fu erunt, & Pontifex Hæreticorum princeps est, à quo & veteres pleræque hæreses aut omnino, aut ex parte propugnantur vt erit manifestum, & nouæ innumeræ excogitantur, & pene vniuersa religionis fundamenta conuelluntur.

De

De seculari statu Antichristi, & vigesima-octaua Demonstratio, quòd Papa non sit Antichristus, quoniam Papa non est rex terrenus, qui oritur ex humili & obscuro loco, ut de Antichristo prædictum est.



ACTENVS spiritualem Antichristi statum vtcunque ex scripturis sacris decerpsimus. Nunc verò cùm de ciuili & seculari eiusdem statu acturi simus ab eo primum incipiemus quod scribitur in cap. 7. Danielis: Bestia quarta habebat cornua decem. Considerabam cornua & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum. Porro decem cornua ipsius regni decem reges erant, & alius consurget post eos. *Et cap. 8. Idem Antichristus appellatur à Daniele* Rex. *Hinc verò colligimus Antichristum esse terrenum regem, quia connumeratur cum decem terrenis regibus in quos Imperium Romanum diuiditur, & in medio eorum oriri dicitur: Ideòque appellatur à Hieronymo* vndecimus rex. *Papa verò etsi temporale quoddam Dominium habet, tamen neque ab origine Papatus sui fuit terrenus princeps, nec vnquam Regis nomen sibi vendicauit, nec territorium ei subiectum appellatur* Regnum, *sed* patrimonium D. Petri. *Denique merum imperium, seu gladij potestatem ipse in seipso velut Papa non exercet, verùm per alios exerceri iubet: eo ipso agnoscens, illam quoque seculi potestatem, velut spirituali suæ potestatem vtilem & subseruientem non illegitimè per operam aliorum administrari posse. Longè igitur ab eo abest Papa, vt sit aut tantùm, aut potissimùm R[illegible] terrenus, sicuti Antichristus erit.*

N. SANDERVS. Antichristus est terrenus rex.

In cap. 7. Daniel.

Guilielmus Whitakerus.

QVod de Antichristi regno scribis, Sandere, exiguum refutationem desiderat. Primum XXVIII.

enim regem duntaxat fore Antichriſtum, quales illi ſunt, qui gentibus populiſque dominantur, quos Chriſtus gentium reges, conſuetudo *ſeculares* vocat, nullo ſcripturæ loco ſcriptum eſt. Et quando illum in Dei templo ſeſſurum Apoſtolus tradit, non tam ſecularem eius, quàm ſpiritualem fore dominatum atque tyrannidem indicat. Daniel autem de Antiocho vaticinatus eſt, qui quanquam fuit Antichriſto in multis rebus ſimilis, vt Antichriſti perſonam quodammodo geſſiſſe videretur, tamen quicquid de Antiocho Daniel prædixit, id totum eodem modo ad Antichriſtum pertrahere, nulla theologia, aut ratio perſuadebit. Deinde ſi neceſſe eſt regem eſſe Antichriſtum, quemadmodum contendis, vt multa tibi petenti hactenus dedimus, ita hoc etiam dare non magnopere recuſamus. Quid enim, tuúmne pontificem regem eſſe negas? vt te hic geras, quámque hanc cauſam timidè tractes, ludus eſt attendere: quocunque te vertis in vlcus incurris. Sic enim ais, *Papa etſi temporale quoddam dominium habet*. Sic loqui ſolent, qui palàm verum fateri non audent. Hoc enim tēporale quoddam dominium, temporale quoddam regnum eſt, quod Pontifex ſibi comparauit, atque in eos omnes exercet, qui illi obtemperare volunt. Sed ſi habet, vt ipſe dicis, temporale dominium, & tanta eſt huius dominij magnitudo, quanta regiam omnem poteſtatem ſuperat, cur non illum regem *temporalem & ſecularem* appellemus? Quia inquis, ab

origine

origine papatus sui non fuit terrenus princeps. Nec Pōtifex Romanus ab origine fuit Antichristus, sed postquã Antichristus esse cœpit, nũquã destitit, quousq; regnum terrenum adeptus est. At regis nomen nusquam sibi vendicauit. Si re imperium regium exercuit, de nomine non est necesse laborare. Cæsarem fuisse regem cōstat, etsi regis nomen vitauit, eoq; vti noluit. Si Papa habet vtrumq; gladium, negari non potest, quin sicut vno sit episcopus, sic altero rex fiat. Et Bonifacius octauus nunquam sibi *gladium tēporalem* præferri iussisset, nisi se regem esse iudicasset. Quare cum se regem non vocat Pōtifex, id boni viri humilitatem ostendit, nihil de potestate Pontificis regia detrahit, quemadmodum ex Capistrano discere potuisti. Quod vero Pōtifex, territorium illud suum, non regnum appellat, sed *patrimoniũ diui Petri*, nihil refert ad rem. Non enim illo territorio contentus esse vult, sed regno suo omnes Christianas prouincias complectitur. *Cur autem illud* (vt Erasmus meritò quærit) *potius Petri patrimonium vocas, quod ipse Petrus se non habere gloriatus est.*

Pag. 92. B.

Erasm. chil. in prou. Sileni Alcibiadis

Denique ais, merum imperium, seu gladij potestatem ipse in se ipso velut Papa non exercet. Non quidem velut Papa, sed velut rex: quod perinde est. Quæ postremò hic de seculi potestate scribis, omnium sibilis digna sunt. Sic enim loqueris, quasi seculi potestas instituta sit, vt Pōtificis potestati subseruiat, id quod Capistranus in loco superiore scribit: *Christi autho-*

ritas, inquit, *principaliter in Papa residet, & Papa sibi coadiutorem in temporalibus aduocat imperatorem*. Ita imperator nullus fuisset, nisi illum Papa aduocasset. Et Constantinum scribunt, nihil quidem donasse Papæ, sed restituisse: cùm Papa Christi vices gerat, cuius est terra, & plenitudo eius. Nos aliud Christus docuit, quando Apostolis suis, & cunctis verbi ministris præcepit, *Non ita erit inter vos*. Quid nunc de tua Demonstratione statuendum sit, *Antichristus est rex terrenus, Pontifex Romanus non est rex terrenus, igitur non est Antichristus*, satis omnes, opinor, intelligunt.

Mat. 20. 26

Vigesima-nona Demonstratio, quòd Papa, qui subitò ad Regnum de obscuro loco non ascendit, minimè possit esse Antichristus.

N. SANDERVS. Daniel. 7. Apoc. 13.



RAETERQVAM *quòd Daniel appellat Antichristum* Cornu paruulum *quia principium regni eius obscurum erit: etiam liber Apocalypsis dicit eum* ascendere de terra, *veluti qui filius terræ ob generis sui humilitatem habendus sit. Daniel etiam sic de eo loquitur:* Stabit in loco eius (*id est in loco Regio*) despectus, & non tribuetur ei honor Regius. *Quæ verba licet Porphyrius de rege Antiocho voluerit intelligi: tamen D. Hieron. ibidem ait:* Nostri (*id est ecclesiastici scriptores*) melius interpretantur, & rectiùs, quòd in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui tam humilis erit atque despectus, vt ei non detur honor Regius. *Præterea Irenæus dicit, Antichristum* de improuiso venire, & regnum sibi vendicare. *Papa verò non ascendit de terra, velut paruulum Cornu, sed Potestatem de cœlo, velut Magnus omnium Christi Pastor*

Daniel. 11.

In fine lib. 5.

stir per Petrum Apostolorum principem traxit, cui filius Dei claues Regni cælorum dedit. Nec etiam de improuiso venit, vtpote qui iam per aliquot secula Romæ in Cathedra D. Petri consederat, priusquam Patrimonium D. Petri aut Dominium aliquod magnum accepisset. Denique nunquam stetit Papa in loco Regio, ac multo minus eo tempore despectus fuit, in quo dominium temporale primùm obtinuit. Imò semper illum & obseruarunt fideles (vt ex omnium ætatum testimonijs in lib. 7. huius operis declaraui) & timuerunt Pagani, etiam imperatores ipsi, vt constat ex D. Cypriani verbis, quæ etiam ego citaui in lib. 7. sub numero marginali 61. Quid multis? Nihil omnino Pontificibus Romanis cum Antichristo commune est. Lib. 4. Ep. 2.

Guilielmus Whitakerus.

MVltas Sanderus pergit allegoricas nobis ex Daniele Demonstrationes obtrudere, quibus nunquam profectò cogi possumus, vt Pontificem non esse Antichristum fateamur. Illa enim oracula Danielis, è quibus tam multa Sanderus sumit, ad Antiochum illum pertinent, qui populum Dei crudelissimè oppugnauit, & Iudæis infinitas calamitates intulit. Et quanquam patres in isto Antiocho imaginem quandam Antichristi agnoscunt, id tamen γενικῶς, non εἰδικῶς intelligendum est: & quando quæ scripta de Antiocho legimus, ea ad Antichristi personam traducimus, ἀλληγορικῶς, non propriè loquimur. Allegoriæ autem non probant, nedum demonstrant. Quod non eò dicimus, quò vim aliquam argumenti subterfugiamus, sed quò scripturas verè atque aptè XXIX.

intelligamus. Nam quæ affert Sanderus ex Daniele, ea possunt non incommodè ad Romanum Pontificem torqueri, vt si vnum excipias Antiochum, nulli meliùs, quàm Pontifici Romano conueniant.

Iam breuiter hunc locum decurramus. Cornu illud paruulum, de quo Daniel scribit, Antiochus est, qui cum nihil regium haberet, ad regnum tamen peruenit, occiso Seleuco fratre, ad quem ius regni pertinebat, dictúsque est Epiphanes καὶ ἀντίφρασιν. Bestia autem illa, quam

Apoc. 13. 11 Ioannes è terra ascendentem vidit, ipse est Antichristus, qui proinde è terra emergere dicitur, quia terrenus totus est, sanctum & cæleste nihil habet. Quod iterum ex Daniele affers, de eodem Antiocho prædictum est, quanquam non reprehendo Hieronymum, qui idipsum ad Antichristum accommodauit: meliùs autē & rectiùs de Antichristo accipi non possum concedere. Nam Antiocho propriè, Antichristo non nisi τυπικῶς conuenit. Et quanquam Hieronymus ista meliùs intelligi de Antichristo existimat, in Antiocho tamen vera fuisse & Antiochi filio nō negat. Irenæus nihil habet, quod nos improbemus. Nunc quemadmodū ista ad tuam causam transferas, videamus. *Papa*, inquis, *non ascendit de terra*: falsum: siue enim ascendere de terra sit obscuro loco nasci, siue terrenam authoritatem exercere, vtrumque in Pontifice conspici potest. Qui enim genere ignobilissimus, & ordine infimus fuit, is si aulam pontificiā affectari,

&

& honores eccleſiaſticos captare, & tandem ad cathedram Pontificiam aſpirare poſſit, mox reges omnes, & Cæſares dignitate & ſplendore ſuperet. Terræ filius, repentè nobiliſſimos principes ſic præ ſe deſpicit, vt pedem illis oſculandum præbeat: immane, & fœdum, & indignum vel principum maieſtate, vel iſtius ſordibus ſpectaculum. Quicquid verò Pontifex authoritatis habet, ſi modò Euangelij prædicandi munus excipias, quod ille, quantum poteſt, à ſe repellit, terrenum eſt, fraude, & malis artibus comparatum. Nam quod de ouium paſtore, Petro Apoſtolorum principe, clauibus regni cœlorum commemoras, obſoletum eſt. Et quanquam erant Romæ multi Pontifices, antequam patrimonium Petri, aut *Dominium* aliquod Pontifici Romano delatum eſt, quid tamen hoc ad rem facit? De improuiſo veniſſe meritò putemus, quia quem non credebant eſſe Antichriſtum, is Antichriſtus fuit, vtcunque in ea Cathedra ſedit, quam multi ante illum viri boni tenuerunt. Nec quicquam ad tui Pontificis dignitatem confirmandam valet, quod Pótificem Romanum olim & fideles obſeruarint, & pagani metuerint. Redde nobis antiquos Pontifices Cornelio illi, de quo Cyprianus ſcribit, ſimiles, & nos illos omni honore proſequemur. Dum autem tales eſſe pergunt, quales iam permulta ſecula fuerunt, metui propter crudelitatem & imperij magnitudinem poſſunt, amari & coli propter ſanctimoniam non poſſunt.

Nec verò Cornelium Decius metuebat, sed ira quadam & furore in Romanum Pontificem flagrabat. Sic Demonstratio tua, *Antichristus subitò & de obscuro loco ad regnum ascendet: Pontifex Romanus nihil fecit eiusmodi: non est igitur Antichristus*, deiecta iacet, tuúmq; auxilium implorat.

Trigesima Demonstratio, quòd Papa, qui neque per dolum, neque per vim obtinuit regnum, minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS. Daniel. 11.



ANIEL ait de Antichristo veniet clam (seu in dolo) & obtinebit regnum in fraudulentia, & brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius & conterentur. Insuper & dux fœderis. Et post amicitias, cum eo faciet dolum, & ascendet, & superabit in modico populo, abundantes & vberes vrbes ingredietur. *In quibus verbis secundum ecclesiasticos scriptores (vt Hieronymus ibidem attestatur) Antichristus docetur ad Regnum aspiraturus, partim dolo, partim vi. Nostro autem modo Papa Patrimonium D. Petri obtinuit, sed tantum* ex gratuita imperatorum liberalitate, *quod nec ipsi Protestantes negant. Neq; enim aut bello Pontifex illas vrbes, quæ Patrimonium D. Petri dicuntur, ab initio, aut blandiciis aut fraudulentia quæsiuit, vti Antichristus dicitur facturus. Nihil igitur eorum quæ Prophetiæ de Antichristo scribunt, satis aptè in Pontificem Romanum cadit.*

Guilielmus Whitakerus.

XXX. His verbis Daniel Antiochi illius callidum ingeniū describit, qui cum priuatus esset, & regnandi cupiditate flagraret, partim dolo,

dolo, partim vi regnum adeptus est, quod desiderauit. Nam Demetrium fratris natu maioris filium Antiochus fraude circumscriptum de regno deiecit, & pòst armis eos oppressit, qui illi regium honorem deferre noluerunt. Hæc in Antiocho sic omnino gesta esse, quemadmodum in Daniele legimus, omnes historiæ testātur. Iam, si placet ἀλληγορεῖν, potes ista ad Antichristum accommodare, in quo tamen pontificem tuum nihil profectò iuuabis, quem & vulpeculę astutiam, & leonis vim adhibuisse constat, vt eam authoritatem compararet, quam cupiebat. Si volumus pontificum Romanorum res gestas considerare, vt se primùm imperatoribus submiserint, & semper aliquid blanditijs suis extorserint, & paulatim incredibili calliditate ad maximam potentiam peruenerint: deinde qua arrogantia, immanitate, violentia statum suum defenderint, & imperatori restiterint, nec dolum pontifici Romano, nec vim defuisse perspiciemus. De Petri verò patrimonio ineptè Sanderus tam sæpe meminit, quasi quicquid pōtifex regium haberet, id in illo patrimonio inclusum esset. Siccine oculos nobis, Sandere, nugis tuis oblinere voluisti? Demonstratio iam tua, *Antichristus dolo & vi regnum obtinebit, Pontifex Romanus nullum regnum his vijs obtinuit, non est igitur Pontifex Antichristus*, per se diffluit, nec longiorem responsionem desiderat.

Trigesima prima Demonstratio, quòd Papa, qui tres Reges non deleuit, minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS. Daniel. 7.



A Facie paruuli cornua tria de cornibus primis euulsa sunt. *Quod Angelus postea sic interpretatur, vt cõstet, Antichristum tres de illis decem regibus* (*in quos Romanum Imperium diuidetur*) humiliaturum. *In fine autem capitis 11. Daniel significat tria illa Regna, quæ per Antichristum humiliabuntur, esse Ægyptum, Lybiam, & Æthiopiam. Vnde Hiero.*: Dicamus (*inquit*) quòd omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, vndecimum surrecturum esse Regem paruulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ, sicut in consequentibus manifestiùs dicemus. *Papa verò, qui nullos tres Reges, nedum illos Ægyptiorum, Africæ, ac Æthiopiæ superauit, non est proculdubio Antichristus.*

In cap. 7. Danielis.

Guilielmus Whitakerus.

XXXI. DVos hîc, Sandere, Danielis diuersos locos temerè coniungis, & omnia interpretationis quodam peruersissimo genere confundis. De Antiocho fieri verba in vtroque loco satis constat. Sequar enim illam interpretationem, quam iudico ipsis rebus esse maximè consentaneam. Tria autem cornua euulsa tres reges indicant ab Antiocho oppressos, id est, Ptolomęum Philopatora, quem ex Syria exegit, & Seleucum fratrem, & Demetrium

Seleuci

Seleuci filium, quos sustulit, vt aditum sibi ad regnum patefaceret. Quæ verò, in capite vndecimo Daniel scribit, valde aliena sunt. Ægypto enim, & Libyæ, & Æthiopiæ damna maxima, & clades allaturus Antiochus dicitur, sic vt Ægypti quidem bonis potiatur, Libyas atque Æthiopas ipsi obsequentes habeat. Hinc iam tres ab Antiocho reges debellandos esse, Ægypti, Africæ, Æthiopiæ nunquam mihi Hieronymus, aut quisquam fidem faciet. Quare Demonstratio hæc tua, *Antichristus tres reges delebit, Pontifex Romanus tres reges non deleuit, ergo non est Antichristus*, alia demonstratione, qua confirmetur, indiget.

Trigesima-secunda Demonstratio, quòd Papa, qui septem Regibus potentior nō est, minimè sit Antichristus.



ON tantùm tres de Regibus decem Antichristus superabit, verumetiam septem reliquis potentior erit. Daniel enim ait: Decem cornua ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus. *Quo in loco Hieronymus ex omnium scriptorum ecclesiasticorum traditione dicit:* Interfectis tribus Regibus, cæteri septem alij Reges victori (*Antichristo*) colla submittent. *Non est autem Pontifex Romanus in temporali statu (de quo iam agitur) potentior vllis septem regibus qui regiones vllas possident, quæ vnquam sub Romano erant Imperio: ac propterea non est Antichristus.* N. SANDERVS.

Guilielmus Whitakerus.

XXXII SI semel progredi Sanderus cœpit, nullum locum consistendi reperit. Antiocho multum debet, à quo hanc demonstrationũ tã copiosam segetẽ accepit: at qualiũ, bone Deus! si sic Pontificis Romani causa defenditur, aut si hanc demonstrandi viam vera Theologia præscribit, nihil est tam incredibile, tam superstitiosum, tã ab omni fide alienum, quod non idoneã defensionem inueniat. Sentient isti tandem, quàm fœdè sacris scripturis ad Antichristi tyrannidem comprobandam abusi fuerint. Tribus regibus superiorẽ fore Antiochum Daniel prædixit, septem verò regum nullam omnino mentionem fecit. Vidit autem Daniel decem reges Asiaticos, quorum Antiochus vltimus fuit, quosque omnes crudelitate & potentia superauit. Hi autem erant, Seleucus Nicanor, Antiochus Soter, Antiochus Theos, Seleucus Callinicus, Ptolomæus Euergetes, Seleucus Ceraunus, Antiochus magnus, Ptolomæus Philopator, Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes. Hæc cornua decem sunt, & paruulum illud cornu Antiochus hic postremus est. Quid contrà Hieronymus, ex quorundam traditione, senserit, meâ nihil interest. Non est enim Hieronymus fidei nostræ tãtus κανὼν, vt ei sit vel eius, vel aliorum traditiones referenti sine scripturis assentiendum. Hanc, si potes, Demonstrationi tuę

securim

securim detrahe, & tum conclude, *Antichristus superabit septem reges, Pontifex Romanus non superauit septem reges, non est igitur Antichristus.*

Trigesima-tertia Demonstratio, quòd Papa, qui nunquam in orbe toto velut Monarcha terrenus regnauit, minimè sit Antichristus.



POSTQVAM Antichristus ex decem regibus, qui suberant Romano imperio, tres deleuerit, ac septem reliquos ad suas conditiones perduxerit: ipse velut nouus Monarcha in orbe toto regnabit. Nam & Daniel eum inter Monarchas annumerat: Roboratibur (*inquit*) fortitudo eius, & prosperabitur, & faciet, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos. Et faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius. *In quæ verba Hieronymus:* Nullus (*inquit*) Iudæorum absque Antichristo in toto vnquam orbe regnauit. *Item D. Chrysostomus Antichristum collocat inter Monarchas.* Nam vt Regnum Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis destructum est: ita Romanorum ab Antichristo destruendum esse ait, ac denique Antichristum à Christo delendum esse. *Ac sanè iustum Dei iudicium postulare videtur, vt cum carnales Iudæi semper existimârint, Messiam suum in orbe toto dominaturum, eumque ob illam spem Regnum æternum amiserint: iustum (inquam) Dei iudicium videtur postulare, vt illa sua temporali quadam Monarchia non priuentur. Nam vt Deus ijs qui carnes nimiùm cupidè flagitabant, coturnices largitus concessit, licet dum adhuc esca foret in ore illorum, ira Dei descenderet super eos: sic etiam si Monarchia Antichristi magnam ad extremam pœnam perfidis Iudæis paratura sit, tamen vota eorum tot seculis continuata, non videntur omni effectu suo caritura. Iam verò Pontifices Romani Monarchiam*

N. SANDERVS.

Daniel. 7. 11 & 8.

In 2. Thess. 2

Num. 11.

temporalem neque expectant, neque excipiant, tamen [illegible] instar Antichristi eandem exerceant.

Guilielmus Whitakerus.

XXXIII. QVod regnum Antichristo Sanderus terrenum supra affinxerit, id parum fuit: nunc enim non regem modò fore Antichristum, sed Monarcham etiam demonstrabit. Ita nunc hoc, nunc illud sequitur, & talem nobis Antichristum describit, non qualis vnquã futurus sit, sed qualem ipse animo ac cogitatione sua formare potuit, & tanquam æstu ingenij sui huc, illucque rapitur. Nostrum est ineptias istas, & vafrorum hominum ludibria contemnere, nec nouum aliquem Antichristum expectare, quando qualem fore Spiritus sanctus Antichristum prædixit, talem & fuisse longo tempore, & esse Romanum Pontificem perspicimus. Pergant illi in suis delirijs consenescere, & quia deserere Antichristum nolunt, cum Antichristo pereant. Nos Antichristum agnoscamus, agnitum fugiamus, ne paratum Antichristo, suisque omnibus supplicium subeamus. De Monarchia Antichristi nullum in Daniele verbum reperimus. Nam ista, vt reliqua, ad Antiochum illum Iudæorum crudelissimum hostem referuntur: quanquam de Monarchia, & totius orbis imperio nihil hic legimus. Ita siue Antiochum, siue Antichristum indicari statuamus, neutrum tamen Monarcham fore ex hoc loco discimus.

Hic

Hic nunc Hieron. aliquo opus est, qui Danielẽ de Antichristi monarchia locutũ esse confirmet, & tum demum nihil ad iustam demonstrationẽ deerit. Verùm multò rectiùs erit, vt Hieronymi sententiam scripturis consentaneam faciamus, quàm vt scripturas ex Hieronymi interpretatione metiamur. Nam Chrysostomus verè scripsit vt Medis Babylonij, Babylonijs Persæ, Persis Græci, Græcis Romani successerunt, sic Romanis Antichristũ succedere oportere: quod ita omnino euenisse quis non intelligit? Romam enim caput imperij Romani Pontifex tenet, & nihil nunc in Italia reliquum est Romano imperatori: & siquis in orbe Christiano Monarcha per aliquot secula fuit, is Pontifex Romanus fuit. Sed hîc rationem prçclarissimã Sãderus excogitauit, qua Monarchã esse Antichristũ debere demonstraret. *Dei enim iudiciũ videtur*, inquit, *postulare, vt cum Iudæi messiã suũ semper fore Monarchã existimarint, non fallantur, nec sua Monarchia priuentur*. Quis te, Sandere, de iusto Dei iudicio sic existimare docuit? Id ne diuini iudicij ratio postulat, vt Deus amenti Iudæorũ expectationi satisfaciat, & talem illis Messiam præbeat, qualẽ fingunt, & exoptant? an tu potiùs iusto Dei iudicio sensum omnem, iudiciúmq; amisisti? At Iudæis auidè expetentibus coturnices, Deus iratus cõcessit. Quid simile? Carnes Iudæi dari sibi cupiebant, quod illis facere licuisset, nisi id ingratitudine, & desperatione, & auiditate nimia commoti fecissent. Neque hoc commune omnium

peccatum fuit, & multos illis cibis sanctè vsos esse non est dubium. Eorum tantùm luxus profanus vindicta dignus fuit, qui Deum contemnebant, eiúsq; donis turpissimè abutebãtur. His coturnicibus Antichristum à Sandero comparatum esse plusquam ridiculum est. Hæc cum ita sint, demonstrationem hanc tuam, *Antichristus tanquam Monarcha terrenus in orbe toto regnabit, Pontifex Romanus non regnat vt Monarcha terrenus, ergo non est Antichristus*, languidam esse, miseramque est necesse.

Trigesima-quarta Demonstratio, quòd Papa, qui non persequitur Sanctos (vt Antichristus faciet) minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS.



Daniel. 7. SANCTI (*vt ait Daniel*) tradentur in manus cornu paruuli (*hoc est Antichristi*) & sanctos altissimi conteret. (*Et cap. 8.*) interficiet robustos, & populum sanctorum secundùm

Mat. 24. voluntatem suam. *Christus etiam ait*, Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit, ab initio mundi,

Apoc. 22. neque fiet. *Denique Ioannes dicit, Satanam qui per mille annos legatus erat*, post hoc soluendum de carcere suo: & exiturum, & seducturum gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. *Et cap.* 13. Datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. *Si ergo Sanctos tam immaniter infectabit Antichristus, ob hoc ipsum quia sancti sunt: non est dubium, quin quo sanctiores erunt, eo grauiùs illos persequetur. Quos verò post illud tempus, in quo reuelatum fuisse Antichristum Protestantes dicunt, sanctissimos, integerrimos, & omnium doctissimos fuisse constat, eos nunquam est persecutus Papa, sed duplici potiùs honore affecit. Hi autem erant, Hilarius Cæsariensis, Beda venerabilis Anglosaxo, Haymo Albersta-*

berstatensis, Hildeminus Abbas S. Dionysii, Walafridus Strabo, Ionas Aurelianensis, Berno Augiensis, Humbertus, Lanfrancus Cantuariensis, Regino Historicus, Rupertus Tuitiensis Abbas, S. Malachias in Hibernia Episcopus, S. Bernardus Clareuallensis, Petrus Abbas Cluniacensis, Petrus Lombardus, Gratianus, Petrus Comestor, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Thomas Cantuariensis, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Thomas de Aquino, S. Bonauentura, Ludolfus Saxo, Baldus Perusinus, Nicolaus Lyranus, Thomas Waldensis, Ioannes Gerson, S. Bernardinus, S. Antoninus Archiepiscopus Florentiae, Bessarion Episcopus Nicaenus, Dionysius Ricelius Carthusianus, Ioannes Roffensis, Thomas Morus, Petrus à Soto, Stanislaus Hosius, & alij penè innumerabiles, quorum neminem Papa unquam persecutus est, sed omni potius obseruantia coluit: cum tamen si ullos omnino sanctos tyrannide aliqua oppressisset, hos omnium Sanctissimos praeterire non debuerit. Nam quod Bonifacius Octauus Fraticellos & Dulcinistas, ac alij Pontifices Romani alios, qui promiscuos concubitus, & exercebant & approbabant, persecuti esse leguntur, non puto quenquam, qui sanctus ipse haberi velit, eiusmodi monstra in sanctorum numero habiturum. Certum igitur est Papam, qui sanctos non est persecutus, non esse Antichristum. Ioannem verò Hus, & Hieronymum Pragensem non tam Papa, quam Synodus Constantiensis magistratui seculari tradidit. Aliosque infinitos Lolhardos, & Sacramentarios, qui nuper in tota Europa ignibus traditi sunt, non Papa & Episcopi, sed politici Magistratus & Christiani reges occiderunt. Papa enim vitae ac necis potestatem in eos, qui extra eius territorium degunt, non habet, nec talem aliquam potestatem Ecclesia ullibi exercet. Cum igitur Antichristus ob caedem corporalem Sanctorum praecipuè infamis habeatur: Papa verò nec Sanctus ullo modo persequatur, nec ullos omnino per Ecclesiasticam potestatem suam interficiat; longissimè ab eo abest, ut ipse Antichristus sit.

Guilielmus Whitakerus.

XXXIV. NVnquámne desines, Sandere, molestus esse Danieli? qui quanquam visis abundauit, de tuo tamen Antichristo nihil vnquam aut vidit, aut scripsit. Antiochus ille est, cuius in Dei populum singularem atque inusitatam crudelitatem commemorat, quémque reipsa talem fuisse, qualis à Daniele prędicitur, historia Maccabæorũ testis esse potest. Et Chri-
Mat.24.20 stus hîc vrbis excidium, gentisque Iudaicæ calamitatem à Romanis illatam præmonstrauit, quod satis intelligitur ex ijs verbis, quæ mox præcedunt, quando eos orare iubet, ne illorum fuga in hiemem, aut sabbathum incideret. Hoc enim ad populum Christianum minimè pertinet, quos Antichristus persequetur. Tamen non ignoro verum esse in genere, quod de Antichristi crudelitate disputas. Volui tantùm hæc scripturæ loca, quia sunt aliena, à tuæ interpretationis iniuria vindicare. Nam fore quidem hostē sanctorum immanissimum Antichristum, illa
Apoc.13.7. verba satis ostendunt, quæ ex Iohannis Apoca-
Apoc.11.7. lypsi recitas. Futurum enim discimus, vt sanctis Antichristus non modò bellum inferat, sed eos etiam vincat, duósque illos testes occidat, id est, qui illi audent reclamare, eos de medio tollendos curet. Reliquum nunc est, vt quando hanc Antichristi veram, propriámque notam esse constat, an ea Pontifex Romanus inustus sit, circumspiciamus. Quid ergo? mitis

mitis, pius, clemens Pontifex? Sic tu quidem, Sandere, affirmas, eiusque in quosdam homines, quos sanctissimos, integerrimos, doctissimos fuisse dicis, insignem humanitatem prędicas. Est aliquid forsan quamobrem tibi Pontifex bonus, & benignus videatur, à quo multa beneficia accepisti, quique & te, & tui similes semper sibi deuinctos esse voluit. Et verò dignus es Pontificis tui amore, quem tu sic amas, vt eius dignitatem tua ipsius salute atq; anima chariorem habeas. Si te Pontifex non persequitur, mirandum non est, qui nullum pro Pontifice certamen & laborem recusasti, illumque semper vt patrem tuum coluisti. Nam leones, etsi natura feroces admodum, sæuique sunt, suos tamen catulos amant; nec Antichristus ita erit ab omni humanitate desertus, vt quos ipsius studiosissimos esse viderit, eos non fouendos sibi, & officijs omnibus continendos intelligat. Verùm nō qualis erga suos Pontifex fuerit, sed quid de ijs statuerit, à quibus se læsum & parum honorificè tractatum senserit, cogitandum est. Tum enim cuiusmodi semper Pontificis ingenium extiterit, facilè apparebit. Nam hi tui, quos tam multos enumeras, etsi eorum nonnullos viros sanè bonos, & doctos, & sanctos fuisse fateor, tamen cur essent tuo Pontifici odiosi, nulla causa fuit. Quanquam enim erant doctrina, & pietate præstantes, tamē aut Pontificem non esse Antichristum omnino intelligebant, aut illi timidiùs & languidiùs resistebant: & ea quidem horum té-

porum ratio fuit, in quibus ad summam in Ecclesia potentiam Pontifex peruenerat, vt quietum, vitamq; suam amaret, illius potiùs voluntati obsequi, quàm cum illo inimicitias periculosas exercere mallet. Tamen horum aliquos ausos esse Pontificis tyrannidem verbis apertissimis perstringere, si negas, Sandere, te Bernardus refutabit, à quo Pontifex & sæpe, & liberè, & acerbè reprehensus est.

Quales reliqui hi tui fuerint, quos à Pontifice cultos esse dicis, nihil attinet narrare. Fuisse omnium sanctissimos, quomodo persuades? Quid si enim multa de horum virtutibus scripta in libris iactantur? An illis ergo solis maximam veræ pietatis laudem tribuemus? alios, de quibus nihil tale legimus, nec sanctos, nec doctos, nec vlla laude dignos fuisse censebimus? Ij quidem sanctissimi tum habiti sunt, & doctissimi, qui maximè Pontifici Romano placere potuerunt. Lanfrancus multa pro Pontificio dogmate contra Berengarium scripsit: Lombardus, & Gratianus porticum ecclesię Romanæ sustinent: Dominicus, Franciscus duorum erant præclarissimorum ordinum authores: Thomas Cantuariensis pro causa Pontificia sanguinem profudit, eoq; nomine vt Diuus à vobis colitur, à nostris vix honore tanto dignus iudicatur: Albertus, Alexander, Aquinas, Bonauentura Scholasticæ, Pontificiæque Theologiæ parentes erant: Waldensis Wicleuistas concidit: Bessarion à Græcis ad Latinos transijt: Roffensis, Morus pro

pro Pontificis Romani capite sua amiserunt: A-sotus rem pontificiam fortiter contra Lutheranos defendit: Hosius de te bene meritus est, eiq; tu hanc gratiam referre voluisti, vt eum in sanctissimis & doctissimis numerares. Quis iam neget præclarè demonstratam à te esse Pontificis tui clementiam? Sed erant alij, Sandere, qui si nacti fuissent tam amicos, & diligentes laudum suarum præcones, quàm isti sunt, cum his quidē in omni laudis genere contendissent. Nunc quia Pontificis à se voluntatem alienarunt, & illum minùs propitium habuerunt, in nullo numero reponuntur. Tales erant Bertramus, Berengarius, Wicleuus, Waldenses, atque huiusmodi infiniti, qui & Pontificem vestrum oppugnarunt, & ab illo crudelissimè tractati sunt: quorum nomina quanquam à vobis infamia notantur, tamē in libro vitæ perscribuntur, & apud eos chara atque honorifica sunt, qui Antichristum agnoscere, & odisse didicerunt. *Fratricellos & Dulcinistas* in Italia media natos nihil est, quòd nobis obijcias. Nullam ecclesiæ nostræ similē fœditatē ferunt, & illos, si tales erant, meritò Pōtifices tui delendos iudicarunt. Hussium verò, & Hieronymum quinam, quæso, contra fidem publicam Hussio datam exusserunt, nisi patres Concilij Constantiensis? Et illos infinitos Lolhardos, & Sacramentarios nónne Pontifex tuus interfecit? Quid enim, si à politico magistratu ducti sunt ad supplicium? tamen propter Pontificiam religionem accusati, legibus Pontificijs

iudicati, à Pontificijs iudicibus damnati & traditi sunt carnifici. Etsi enim vobis non licet quẽquam interficere, alijs tamen interficiendos assignare licet. Quis Christum cruci affixit, Sandere? Nónne Pilatus, qui illum lata sentẽtia Iudæorum voluntati crucifigendum permisit. Sic tuus Pontifex Magistratum eius crudelitatis ministrum facit, qua in Dei sanctos grassatur, & sibi iudiciũ sumit, supplicium & carnificinã illi relinquit. Qualis nunc demonstratio tua sit, *Antichristus sanctos Dei persequetur: Pontifex Romanus non persequitur sanctos Dei: non est igitur Antichristus*, manifestum est. Assumptionem falsissimam esse totus orbis testatur. Sic enim res se habet, habuitque multis seculis, vt vbicunque Pontifex dominatur, & plurimũ potest, ibi certum exitium ijs omnibus paratum sit, qui parẽre Pontifici nolunt. Hinc illæ horrendæ innumerabilium hominum strages, vbique ferè à Pontificijs editæ, tanta crudelitate, & suppliciorum teterrimorum varietate, quanta priscis tyrannis incognita atque inaudita fuit. Et nunc quas minas Pontifex, quam cædem spirat? vt si hanc belluã in nos Dominus iterum immiserit, nihil nisi interitum atque internecionem expectare liceat. Si ergo sanctos Dei persequi, sit homines pios, integros, doctos, Christi seruos, veræ religionis professores crudelissimis supplicijs mactare, tũ sanctos Pontifex persequitur, qui nullum à sacrilegijs Pontificijs & Antichristiana doctrina abhorrentem viuere omnino finit, si illi vitam eri-

pere

pere potest. Dominus Iesus hunc omnium tyrānorum τυραννικώτατον coerceat, Ecclesiamque suam ab irati & prouocati Antichristi crudelitate vindicet.

Trigesima quinta Demonstratio, quòd Papa, qui non prohibet aliquos baptizari, minimè sit Antichristus.



D persecutionem Antichristi hoc vel maximè pertinet, vt non patiatur Baptismū Christi vel paruulis, vel adultis administrari: vnde Hyppolitus putat, Antichristi sigillum tale fore, vt quisque cogatur dicere: Nego Baptisma. *Augustinus etiam:* Nonnulla (*inquit*) quæstio est, vtrum quando Satanas solutus totis viribus sæuiturus est, aliquis in qua non fuerat, sit accessurus ad fidem? Sed quid fiet de paruulis? Id verò potius est credendum, quòd tam fortes erunt & parentes pro baptizandis paruulis, & hi, qui tunc primitus credituri sunt, vt illum fortem vincant etiam non ligatum, id est, omnibus, qualibus antea nunquam, vel artibus insidiantem, vel vrgentem viribus. *Hîc tametsi Augustinus rectè definit, Antichristum non obtenturum in sua persecutione, quin parentes boni quocunque modo perducturi sunt paruulos suos ad Baptismum: tametsi manifestissimè significat, Antichristum, omni studio, & omnibus viribus atque artibus (quod in se est) curaturum, vt Baptismus Christi nullis omnino detur. Ac nimirum quis dubitet, quin is, qui aduersatur Christo, in summo gradu supra modum cupiat, vt ianuam ipsam Sacramentorū omnium occludat, neminemq́; amplius in Christi ecclesiam introire patiatur?* Quotquot enim baptizantur, Christum induunt, *& eius nomen in hoc mundo illustre ac gloriosum reddunt. Papa verò nunquam in vlla gente, vllo tempore conatus est impedire, quo minus Christi Baptismus quàm primùm, & paruulis quandocunque, & adultis post Catechismum ritè traditum, da-*

N. SANDERVS.

De Ciu. Dei lib. 20. cap. 8

Ca. 17. num. 26.

ministretur. Quid quod & Lutherus in Homilia de baptismo & Caluinus in suis Institut. quàm Beza in sua Conf. cap. 7. fatentur, Deum noluisse tantum licere Satanæ in Papatu, vt baptismum illic aboleret, cum ibi quoque Baptizetur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? *Cum igitur Protestantes fateantur, Baptismum in medio Papatu satis legitimè administratum esse, non sit autem è re Antichristi vt Baptismus in Regno ipsius aut legitimè aut omnino administretur, fieri nõ potest, vt Papa sit Antichristus.*

N. SANDERVS.

Guilielmus Whitakerus.

XXXV. De Ciuitat. lib. 20. cap. 8

NOuum hic persecutionis genus Sãderus commemorat, quo vsurum Antichristũ existimat: quod quidem vehementis miserúmq; esset, si quid omnino tale eueniret. Nihil enim luctuosius cogitari potest, quàm adeo sæuire Antichristum, vt nullum vel infantem, vel adultum baptizari patiatur. Verùm vnde hoc futurum, Sandere, quod scribis, intelligemus? Quis id Propheta, quis Euangelista, quis Apostolus significauit? Nullus omnino: nec quicquam est in omni scriptura, ex qua sola Demonstrationes Theologicę peti possunt, quod vel leuẽ huius rei suspicionem ostendat. Dico verò cum Hieronymo, *Nolo mihi ille, vel ille respondeat, quorum me autoritas opprimere potest, docere nõ potest*. Hippolytus enim suppositius tuus mihi nihil vnquã persuadebit, quod non illustri scripturarũ autoritate video comprobatũ. Huius eiusmodi illud est, quòd proprium Antichristi characterem fore

Hieronym. ad Dom.
Hippolytus de consummatione mundi.

re

re ἀξίωμα censet. Augustino certè multũ tribuo, sed illum tamen quando nullam Scripturam affert, noui dogmatis Demonstratorem esse volo. Hæc nostra est, & erit semper contra traditiones vestras iustissima defensio, qua nos ipse vti Augustinus docuit: sic enim inquit, *Si diuinarum scripturarum, earũ scilicet, quæ Canonicæ in Ecclesia nominãtur, perspicua firmatur autoritate, sine villa dubitatione credendum est: alijs verò testibus, & testimonijs, quibus aliquid credendũ esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere, vel non habere, perpenderis*. Illud autem Augustini testimonium, quod affers, exiguam vim habet ad fidem faciẽdam: nec de Antichristo Augustinus, sed de Satana soluto loquitur, & tua ratio in ea parte manca est, in qua semper claudicauit. Non enim sic Christo repugnabit Antichristus, vt sacramentorum nomen & qualemcunque externam administrationem tollat, sed vt eorum ipsam vim, rectúmque vsum euertat, quod tuus Pontifex iamdudũ consequutus est. Ianua quidem est Baptismus: & tamen absit, vt quibus hæc ianua præclusa fuerit, quod sæpe euenire potest, ijs aditũ in cœlos interclusum, aut Christi *induendi* spem prereptam esse statuamus. Pontifex quidem baptismum nullis negat, & citiùs etiam interdum paruulis prebet, quàm oportuit: tantum abest, vt hanc ianuam cuiquam occludat: eius enim aperiendæ cuiuis, etiã mulierculę, potestatẽ facit, quod olim in Ecclesia Catholica

Augustinus epist. 112.

N. SANDERVS.

flagitium graui pœna dignissimum habitum est.

Lutherus, Caluinus, Beza, de Ecclesiæ Romanę baptismo verè sentiunt. Etsi enim ille Baptismus infinitis nugis, & corruptelis contaminatus est, & quasi morbis innumeris laborauit, ipsam tamen animā Sacramenti non amisit, quia in nomen patris, & filij, & Spiritus sancti, quæ huius Sacramenti forma est, datum susceptumque esse constat. Quanquam, id non dicunt, satis legitimè administratum esse in medio Papatu baptismum. Aliud est non aboleri baptismum, aliud legitimè administrari. Adeo enim non legitimè apud vos administratur, vt quanquam susceptus valet, sanctius tamen sit, infantes nostros non baptizari, quàm vobis vestro ritu, baptizādos offerri. Iam demonstratio tua, *Antichristus negabit baptisma, nec quenquā baptizari patitur: Pontifex Romanus baptismum celebrat: non est igitur Antichristus*, medium falsum habet, quod in omni demonstratione clarissimum, & certissimum esse debuit.

Trigesima-sexta Demonstratio, quod Papa, qui Sacrificium Eucharistiæ tuetur, & colit, nō sit Antichristus.

N. SANDERVS.



VO propius Eucharistia (quæ Christi corpus est & dicitur) ad Christum pertinet, eo magis necesse est illum, qui Christo summis viribus aduersatur, corporis eius & sanguinis illius Sacramentum detestari. Est autem Eucharistia summus noui Testamenti cultus

ti cultus, & sacrificium: vti perspicuè testatur & Christus (qui eam loco veteris agni Paschalis substituit, Luc. 22.) & Apost. 1. Cor. 10. Ibi enim confert Eucharistiam, cum Iudæorum & Gentilium sacrificijs: & 1. Cor. 11. significat, Christianos conuenire *ad Eucharistiæ celebrationem, velut ad cultum externum, in quo potissimum se Christianos esse profitentur. Hoc autem fieri solet in sacrificijs publicis. Porro Daniel prædixit, quòd* in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abhominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio *Et capite* 11. Brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuariū fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabūt abhominationem in desolationem: & impij in Testamentū simulabunt fraudulenter: Populus autem sciens Deum suum obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt plurimos. *Et cap.* 12. A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abhominatio in desolationē, dies mille ducenti, nonaginta. *In quibus verbis destructio templi Hierosolimitani, & Iudaici cultus ita commiscetur cum totius mundi consummatione, quā illa templi deuastatio designauit: vt vtraq; vastitas ijsdem verbis simul prædicta sit, quod etiam ipse Christus obseruauit, dum de Templi & mūdi fine tum ipse velut vno eodemq; sermone disseruit, tum Danielem hæc vtraq; simul prædixisse admonuit. Quemadmodū verò Christus Mosaica legi finem imposuit, auferens veterem sacrificandi ritum, qui erat imperfectus, & nouum statuens, qui ob exhibitum & repræsentatum Christi sanguinem, vim habet remittendi peccata: sic Antichristus Euangelio finem imponere conabitur, ablatoque iugi sacrificio Christianorum, in eius locum abhominationem suam execrabilem substituet.*

Dan. 9

Antichristi brachia auferent iuge sacrificium.

Mat. 24

Hebr. 7

Cæterum vt legis Euangelicæ robur & firmitas omnibus pateret, permittitur Satanę ac ministro eius Antichristo, triū annorū & sex mensiū liberrima persecutio, intra quod tēpus omnes dolos suos, omnē potentiam, & vim exeret contra iugē cultum, quem Christus instituit. Iuge autem sacrificium (*authore Theodoreto*) est is cultus, qui Deo singulis diebus adhibetur. *Et sanctus Irenæus dicit:* In tempore tyrannidis Antichristi fugabuntur Sancti, qui purū sacrificium offerunt Deo.

In 11. Dan.

Iren. lib. 5. in fine.

per oblationem mundam seu purum Sacrificium nihil aliud intellexit, quàm Eucharistiæ oblationem, quam hodie Missam dicimus. Nolo vt mihi hac in re fides habeatur, nisi ipse Irenæus hoc ipsum affirmauerit. sic autem scribit: Christus suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis (non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint) eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundū nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo. *Hieronymus verò in caput 12. Danielis hæc habet verba:* Antichristus orbem obtinens, Dei cultum interdicet. *Theodoretus etiam in suis commentarijs ad caput 12. Danielis:* mutationem continuitatis vocat Ecclesiastici cultus ordinem ab Antichristi insania & rabie dissipatum & abolitum. *Postremo Chrysost. ait,* Hoc Sacrificiū Christianorū tollendū est ab Antichristo. *Certè quidem Papa non prohibet Eucharistiam, velut noui Testamenti nouam oblationem offerri Deo: imò summam cultus externi religionem in Eucharistia meritò constituit, constituendāq; docet. Papæ igitur opera cum Antichristi operibus nullo modo conueniunt, sed planè contraria sunt.*

Lib. 4 ca 32

Dei cultus interdicitur.

In opere imperf Ho 49

Guilielmus Whitakerus.

XXXVI. HVnc Sanderus de sacrificio locum perturbatè admodum explicat, vt verborū potiùs inanem strepitum, quàm argumētum & ordinem consectari videatur. Materiam hanc omnem malè congestam in duo capita distinguam, in quibus summa totius loci consistit. Primùm enim id Sanderus sibi proponit, vt sacrificium iuge Ecclesiæ ab Antichristo tollendū esse doceat. Deinde vt hoc sacrificium esse Eucharistiam,

chariſtiam, Miſſamq́; pontificiam euincat, quam Pontifex non modò non ſuſtulit, ſed hactenus ſemper, quantũ potuit, cõfirmauit. Vtrumq; magnum eſt, vt videtis: ſed reſponſionem ipſe meã ad Sanderi Demonſtrationẽ, non ad rei magnitudinem accommodabo. Danielis tria ſunt hîc teſtimonia, quibus vti, vel abuti magis, ad causã demonſtrandam Sanderus voluit. Nã nec omnino hîc quicquã de Antichriſto Dan. prædixit, & quæ diſſimilia ſunt, Sanderus in ſimili argumẽto adhibet. Primus locus res duas continet, quarum neutra Antichriſtum attingit: prima eſt fore vt in medio Septimanæ poſtremæ, hoc eſt, ſeptuageſimæ, Chriſtus ſacrificium & munus aboleret, Dan. 9 27
quod tum fecit, quando ſeipſum in cruce vnicã in perpetuũ victimã obtulit. Sic.n. hoſtijs & ſacrificijs Moſaicis finẽ ſine fine impoſuit. Tũ ſequitur hoc modo, *Deinde per legiones deteſtationũ, deſolãtes vſq; ad conſummationẽ eámq; præciſam, per deſolantes effundetur deſolatio*: queẽadmodũ doctiſſimus Tremellius genere Iudęus, religione Chriſtianus tranſtulit, quocum noſtri Pontificij non debẽt de ſacræ linguæ ſcientia contendere. Horũ autem hic ſenſus eſt facilis & genuinus. Copias Romanorum Iudęis perpetuam breui deſolationem & vaſtitatem allaturas, quod eo modo exiuiſſe conſtat. Atque hanc Iudæorum calamitatẽ his verbis fuiſſe à Dan. prædictam ex Euangelio cognoſcimus. Si enim volumus certò ſcire, quodnam illud ſit βδέλυγμα ἐρημώσεως *Abominatio deſolationis*, Cuius ex Daniele Chriſtus me-

minit, ex Luca facilè discemus, qui Christi, & Danielis mentem multò meliùs perspectam habuit, quā noster Sāderus. Sic enim scribit, *Quū autem videritis circundari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote impendêre desolationem eius.* ὅτι
Mat.24.15 ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. Hæc ἐρήμωσις est illud βδέ-
Mar.13.14 λυγμα ἐρημώσεως, de quo prædictum esse à Dan.
Luc.21.20 Christus affirmat. Reliqua duo loca Danielis de Antiocho intelligenda sunt, qui iuge sacrificium ad tempus sustulit, & desolationem miserrimam in templum Hierosolymitanum intulit.

Hic autem Sanderus artificium quoddam exquisitū excogitauit. Cum enim de vrbis Hierosolymitanæ excidio, & perpetua Iudaici cultus abrogatione loquutum esse Christum constaret necessarium sibi esse vidit, vt de Antichristo etiā mundiq; fine eadem hæc dixisse Christū persuaderet. Itaq; ait Christum de templi, mundiq; fine, velut vno, eodemq; sermone disseruisse: quasi quicquid de altero prædixit, idem omnino simili ratione futurum sit in altero, quo nihil dici insulsius potuit. Sermonem quidē Christus, fateor, de vtroq; simul instituit, quia discipuli de vtroq; simul quęsierant: nec Templū euerti posse mundo stante sibi persuaserant: tamen secernenda sunt, quæ ad Tēpli, atq; vrbis expugnationem, quæq; ad mundi dissolutionem pertinent. Atq; vt hanc suam, Sanderus, interpretationem defendat, Christum Antichristi typum facit. Sic enim statuit, quemadmodum Christus Mosaicum sacrificandi ritum antiquauit, sic conaturum Antichristum

christum vt Euangelium euertat, & iuge Christianorum Sacrificium de medio tollat. Tales Sanderus interpretationes amplecti, nec doctas satis,& parum pias in hac causa coactus fuit. Hęc Sanderus habuit, quæ de priore parte diceret, in quibus nihil minùs edocti sumus, quàm quod ipse docere instituit, Eucharistiæ Pontificiæ sacrificium tolli ab Antichristo oportere. Nullum enim de hoc sacrificio, aut de Antichristo, vel Daniel, vel Christus in his locis verbum habuit.

In Eucharistia autem sua exornanda Sanderus multus esse voluit, cum in ea religionis Pontificiæ puppis & prora consistat. Si quid enim Pontificij habent, vel opinione sanctum, vel re fructuosum, illud hoc ipso Pontificio Eucharistiæ sacrificio continetur, vt mirum non sit, tantopere ab istis pro hac Helena dimicari, qua semel amissa nihil posse retineri intelligunt. Eucharistia, inquit Sanderus, Christum propè attingit, quod quidem necesse est, si nihil aliud sit Christus ipse, & Deus, & homo, quemadmodum hi mentiuntur. Et quidem Eucharistia, quam Christus instituit, quæque est corporis, & sanguinis Christi sacramentū, ipsum Christū propè admodū attingit, vt qui hoc sacramentū indignè, & profanè perceperit, is Christi ipsius corpus & sanguinē violarit. Si verò Eucharistia ipse Christus esset, quomodo Christū, vel propè, vel procul attingeret? At Missā tuā Sandere, nihil omnino est, quamobrem ad Christum quicquam pertinere existimes. Neq; enim aut corpus est, aut

corporis Christi Sacramentum, sed quoddam Pontificium corpus ex sacrilegijs, nugisque innumerabilibus coagmentatum.

Atque hic Eucharistiam esse sacrificiũ doces, quod etsi est ex tuo sensu falsissimum, tamen aliquo modo verũ esse fateor. Nec enim ignoro dici etiam ab antiquis patribus sacrificium, & dici posse non nego, si causas, ob quas sic patres loquuti sunt, consideramus. Scripturam enim illo modo loquentem nullã proferre potes. Cur autẽ patres Eucharistiam sacrificij nomine appellarint hæ causæ sunt: prima quia panem, & vinum, ex quibus huius sacramenti materia constat, populus offerebat, atq; ex illis pars aliqua sumi solebat, quã in Eucharistia adhiberent. Altera quia Eucharistia nihil aliud est, quàm gratiarũ actio, quæ sacrificium est Deo gratissimũ. Tertia, quoniam qui ad Eucharistiam rectè accedũt, & corporis Dominici sacramentum sumunt, ij se totos Deo in sacrificium offerunt. Postrema, quia memoriam illius summi & diuinissimi sacrificij recolit, quod Christus in cruce fecit, sacrificium τροπικῶς appellatur. Propter hæc huius sacramẽti adiuncta, tam nota, tam multa, tam illustria sacramentum ipsum sacrificij nomen accepit. Nã si quid in re ipsa insit accuratè spectamus, & aptè proprieq; loqui volumus, Eucharistia nõ est in sacrificijs, quæ omni modo sacrificia sunt, numeranda. Esse autem sacrificium quibus, Sandere, rationibus euincis? Scripturas primũ, deinde patres adhibes: vtrumq; vt semper soles alienè.

Christus,

Christus, inquis, Eucharistiam loco veteris agni Paschalis substituit: cum ergo agnus sacrificium fuerit, Eucharistiam quoq; sacrificium esse certissimum est. Qui sic disputant, fallere, non docere cupiunt. Primùm enim agnus sacrificium non fuit, quandoquidem sacrificia nullis licuit, nisi sacerdotibus offerre, & agnus in quauis familia, nullo vel sacerdote, vel Leuita præsente, parari & comedi potuit. Tum quale hoc sacrificium fuisse censeamus, cuius particula quæque absumpta, Deo nulla dicata fuit? quod in illis legitimis sacrificijs contra oportuit. Aut enim totum sacrificium Deo, aut pars saltem aliqua cedebat, nec sacrificium vllũ, nisi hac lege fiebat. Huc etiam accedit, quod cum Moses se in Ægypto facturum sacrificia pernegaret, Pascha tamen antè celebraret, quàm ex Ægypti finibus excederet. Itaque agnum hunc dici sacrificium nulla ratione defendi potest. Deinde vt fuisse sacrificiũ demus, quæ tamen ratio cogit, vt de Eucharistia idem statuamus? Quid si enim agno Eucharistia successit? an illi ergo omni ex parte similem esse Eucharistiam necesse est? Quis tandem hoc argumentum neruus continet? in decimo autem prioris ad Corinth. conferri Eucharistiam cum Iudæorum & Gentilium sacrificijs si verum esset, nihil tamen valeret. Non enim semper omnia ijs communia sunt, quæ conferũtur. Sed hoc quoque falsum est. Nam Apostolus non confert Eucharistiam cũ sacrificijs aut Iudæorum aut Gentium, quasi quemadmodũ illa

erant ſacrificia, ſic hanc quoq; eſſe ſacrificiũ indicaret. Sed ſacramenta Iudæi eadẽ fuiſſe docet, quæ data ſunt Chriſtianis: & Baptiſmum nubi ac mari, cœnam, Mannæ, & petræ comparat: ex quo concludit, nihilo Chriſtianis impuniùs licere idololatrarum ſacrificijs intereſſe, quàm olim Iudęis licuit, de quibus Deus pœnas hoc nomine grauiſſimas ſumpſit. Qui enim volunt ad Mẽſas Dæmoniorũ accedere, ij Menſæ Dominicæ participes eſſe nõ poſſunt. Sed illud pulcherrimũ argumentum eſt, quod ex 11. capite nobis Sanderus proponit. Quia enim Chriſtiani ad Euchariſtiam ſumendam conueniſſe dicuntur, & hoc fieri ſolet in ſacrificijs, proinde Euchariſtiam eſſe ſacrificium colligit. At quãquam ad publica ſacrificia populus cõueniebat, tamen vt quiuis populi conuentus ſacrificium arguat, abſurdum eſt. Poteſt enim populus ad verbum audiendum, ad preces faciendas, ad ſacramenta celebranda cõuenire: atque hic ille conuentus fuit, de quo Paulus meminit. Aut his teſtimonijs vt Euchariſtiam eſſe ſacrificiũ fateamur, cogi debemus, aut nos Scripturis alijs Sãderus non vrgebit. Si quid autẽ Scripturis minùs potuit, id iam patrum teſtimonijs præſtabit, in quibus diſcutiẽdis nõ erit operępreciũ multũ mihi laborare. Sũt enim huiuſmodi, vt ijs non magno negotio ſatisfieri poſſit.

Iuge ſacrificium Theodoretus eſſe dicit cultũ illũ, qui Deo ſingulis diebus adhibetur. eſto: ſed de Miſſa tua nihil hîc audio, quã iuge ſacrificium & cultum non eſſę conſtat, quandoquidem nec

bis

bis in die, quẽadmodum in Iugi ſacrificio ſolebat, nec ſemel ſemper adhibetur. Hic autem cultus talis eſt, qui nullis dierũ interuallis ſpacijſq; intermiſſus, perpetuam habet ſacrificij rationẽ. Hoc autẽ quid aliud eſt, quàm illud ipſum, quod Chriſtus ille agnus occiſus ab origine mundi, & quotidianis agnorũ veterũ victimis adumbratus obtulit. Iam ſi quæris quis ille cultus ſit, quẽ ſingulis diebus adhiberi Theodoretus ſcribit, illud eſſe laudis & gratiarum actionis ſacrificiũ reſpondeo, quod quotidie vel mente, vel ritu externo celebramus, quodq; in ſe æternum eſt, & vim ſacrificij immortalẽm obtinet. Atque hinc fit, vt Euchariſtia nonnunquam *Iuge ſacrificium* dicatur, quia eſt illius ſempiterni ſacrificij ſacramentum, non quia ipſa illud eſt ſacrificium, quod immolari quotidie debeat. Nã Pontificij nullas Miſſas certis diebus celebrant, & die *Paraſceues* in omni regno Pontificio ſacrificorũ feriæ ſunt, nec eo die conficere Miſſam licet. Illa ergo Miſſa Pontificia non eſt Iuge ſacrificium, & nullum eſt omnino aliud Eccleſiæ Chriſtianæ eiuſmodi ſacrificium, quã quod Chriſtus æternus ſacerdos ſemel in perpetuũ immolauit.

Apoc. 13. 8.

Euſeb. de Demonſt. lib. 1. *cap.* 6. *Tertul. contra Marc. lib.* 4. *Hieron. in* 1. *cap. Mal.*

At Irenæus fore ſcribit, *vt fugentur ſancti, qui purum ſacrificium offerunt Deo.* Fateor, & veriſſima hæc eſſe poſſunt, vt tuam Miſſam vel maximè colat Antichriſtus. Qui enim purum laudis, precumq; ſacrificiũ offerre Deo volunt, hos quietos eſſe nunquã Antichriſtus patietur. Imò inquis, hoc purum ſacrificium, de quo Malac. ſcri-

Irenæ. lib. 4. *cap.* 34.

bit nihil aliud Irenæus quã Eucharistiæ oblationem, & Missam intellexit. Missam, Sandere, tuam Irenæus nunquam intellexit, quæ primum nata est multis post Irenæum seculis. De Eucharistia tamen illud purum sacrificium Malachiæ Irenæum intelligere non nego: quia non tantùm in Iudæa, vt vetera olim sacrificia, sed passim ea in omnibus locis, & gentibus celebratur: & est sanctissimum non sanguinis sed laudis sacrificium. Etsi enim illud purum sacrificium Eusebius, & Tertullianus, & Hieronymus de precibus nostris verissimè interpretatur, tamen quia tum maximè Deum precamur, eique pro summis beneficijs gratias agimus, quando mortis Christi, qua salus nostra continetur, memoriam celebramus, sacrificij puri nomen ad illud officium accommodatur. Irenæi mens hæc fuit, Christum vetera Iudæorum sacrificia repudiasse, & nouum noui testamenti sacrificium nos facere docuisse, prout olim futurum prædixit Malachias. Nos verò hoc sacrificium & in Eucharistia administranda, & in quotidianis gratiarum actionibus, precibúsque facimus. Atque id Irenæus ipse docuit: sic enim ait, *Est ergo Altare in cœlo: illuc preces & oblationes nostræ diriguntur*. Nihil ergo de tali sacrificio scripsit Irenæus, quale Pontificij suum esse fingunt. Hippolytum autem non agnosco, nec responsione vlla dignum iudico: etsi nihil habet quod vel Missam, vel Pontificem tuum adiuuet.

Euseb. de Demonst. lib.1.cap.6. Tertul.contra Marc. lib.4. Hierony. in 1.cap.Mal.

Irenæ.lib.4 cap.34.

Quod

Quod Hieronymus fore scribit, vt Antichristus *cultum Dei interdicat*, amplector, & tuus Pontifex coli legitimo ritu Deum vetat. Sin hunc cultum de Eucharistia intelligis, ipsam quoque Eucharistiam Pontifex sustulit, nec cœnam eo modo, quo Christus instituit, peragi & celebrari permittit, atque hoc sacramentum à Christo Ecclesiæ relictum cum suo illo Missæ monstro commutauit. Theodoretus nihil nouum affert: & tollendum esse ab Antichristo sacrificium Christianorum, quemadmodum iste Chrysostomus scribit, facilè assentior, quando iamdudum à tuo Pontifice sublata esse Christianorum omnia sacrificia perspicio. Missam verò quòd Pontifex in magno precio habet, non miror, & illi suam filiolam exosculandam, atque exornandam facilè relinquo. Sed hæc missa non illa est Eucharistia, quam Christus ecclesiæ suæ commendauit, tanquam & beneficiorum suorum testem, & amoris monimentum. Quare cum nec Daniel iuge sacrificium ab Antichristo tollendum esse dicat, nec Missa Pontificia vllum sit omnino sacrificium, quæ duo hîc Sanderus probanda suscepit, demonstrationem ipsam ex falsis principijs conclusam, *Si Antichristus iuge sacrificium tollet, & hoc sacrificium Missa est, tum Pontifex Romanus non est Antichristus, qui Missam colit, & tuetur: at primum verum, ergo & secundum*, verum in se nihil omnino habet, totáque repudianda est. Ergo Pontificem cum sua Missa

missum faciamus: De Antichristo non aliter, quàm vt cœpimus, & nos scriptura docuit, sentiamus.

Trigesima septima Demonstratio, quòd Papa, qui tempora & leges mutare non conatur, minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS. Cap. 7.



NTICHRISTVS (authore Daniele) putabit, quod possit mutare tempora, & leges, *hoc est, inquit Hieronymus*, in tantam erigetur superbiam, vt leges Dei & ceremonias mutare conetur, religionem cunctam suæ subijciens potestati. *In eãdem sententiam Theodoretus ibidem scribit*: Antichristus opinabitur, posse se pietatem, quæ tunc vigebit, funditus euertere, optimámque ipsius Rempublicam commutare. Hoc enim innuit, cum dixit: cogitabit mutare tempora & legem, hoc est, eam rempublicam, quæ tunc res administrabit. *Non ergo Baptismum modò & Eucharistiam, sed præterea vniuersum Reipublicæ Christianæ statum Antichristus euertere tentabit. Ac per* tempora *quidem nihil aptius aut magis propriè intelligi posse puto, quàm dies festos Christianorum, in quibus memoriam Natiuitatis Dominicæ, Ieiunij quadraginta dierum, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & Spiritus sancti in Apostolos aduenientis, anniuersaria solennitate celebrant. Hæc enim sunt illa insignia* tempora, *quæ ad cultum Dei potissimum spectant: non quod dies & annos velut ex quadam superstitione contra Apostolicum præceptũ obseruamus, verùm quòd hæc tùm significationis sanctæ, tùm doctrinæ nostræ, tùm etiã mysterij causa ex Apostolorum traditione custodiamus, quemadmodum Augustinus annotauit in Epistola* 118. *Cum igitur constet Papam adeò nunquam conatum esse mutare dies festos ab Apostolis institutos, aut Reipub. Christianæ statum, aliásue leges & cæremonias fidelium, vt potiùs eadem sacra tempora, cæremoniásque omnes tùm ipse perpe-*

Tempora.

perpetuò

tuò coluerit, tùm alijs fidelibus, vt idem facerent mandarit: nihil à vero alienius cogitari potest, quàm vt Papa sit Antichristus. Nam quòd Protestantes Papam dicunt cæremonias in immensum auxisse, hoc quidem non est, eas, quæ olim, erant institutæ, mutare, sed potius per nouos ritus, qui adijciuntur, veteres illas magis sanctas, & munitas efficere. Non dicitur autem Antichristi proprium esse, vt adijciat leges & tempora, *sed vt* mutet, *nec vt constituat sacrificium, sed vt* auferat. *Quàm igitur longè abest à cæremoniarum mutatione & ablatione, qui nouas instituit, tam longè ab eo abest Papa, vt sit Antichristus. Præterea præcipuæ Christianorum cæremoniæ, quibus tam in Baptismo, quàm in Eucharistia celebranda vtuntur, non sunt à Papa, vel solùm, vel potissimùm institutæ, sed vel ab Apostolis traditæ, vel à sanctis Concilijs decretæ, vt constat ex Constitutionibus Apostolicis D. Clementis: itēque ex Tertulliano de Corona militis, ex Basilio in lib. de Spiritu sancto, ac denique ex Liturgijs Græcorum, & Conciliorum sacris Canonibus. Quem verò statum Reipublicæ Christianæ Christus & ipse instituit, dum viueret, & ad Patrem abiens nobis reliquit (qui solus ipse præfuit Ecclesiæ, dum adesset, ac postea cùm discessurus esset, Petrum suæ visibilis præsentiæ Vicarium constituit, vt Capite inter duodecim constituto, schismatis tolleretur occasio) eundem statum Ecclesia Catholica & Romana semper obseruauit, in qua reperitur vnus Pastor, & Episcopus Primus, velut alter Petrus, quocum cæteri Apostolorum successores necessariò communicant. Nec igitur tempora, nec cæremonias, nec statum Reipublicæ Christianæ Papa mutauit & ideo nec Antichristus est.* Cap. 27.

Guilielmus Whitakerus.

NVnquāne missum facies, Sandere, Daniele, & Theologiā συμβολικὴν atq; ἀλληγορικὴν Demonstrationibus ineptā esse intel- XXXVII

liges? Iterúmne est dicendum, quod iam toties audisti, non Antichristum à Daniele, sed Antiochum indicari? Quæ verò palam, & propriè ad Antiochum pertinent, ad Antichristum non nisi peruersè traduci possunt. Ista autem quæ nunc de temporum, legúmque mutatione proponis, ab Antiocho tentata & gesta esse cõstat. Nam ille Iudæorum Sabbata, & ferias anniuersarias mutare, circuncisionem tollere, legésque diuinas abrogare voluit, quemadmodũ abundè in Maccabæorum historia legimus. Hieronymum verò, & Theodoretum, & quemuis alium ista de Antichristo interpretantem non suscipiam, nisi cur ita mihi sit faciendum, rationes necessarias videam, quas nondum potui perspicere. Et quæ Hieronymus Danielis prædicta ad Antichristum potiùs referenda esse iudicat, illa eadem Chrysostomus de Antiocho interpretatur: cuius quidem res ipsa iudicium cõprobat. Quid verò inter vestram, & Iudaicam annorum, dierúmq; superstitionem intersit, non est necesse hoc loco dicere. Qui sic dies festos sanctorum colit, & ieiunia celebrat, quemadmodum vos soletis, vt hoc modo veniam peccatorum consequatur, non modò superstitiosus est, sed à Christi etiam gratia penitus excidit. Apostoli quidem nullos certorum dierum & ieiuniorum ritus instituerunt, & vix satis religiosum principium harum rerum fuisse constat. De Paschate Socrates in historia scribit: *Christianis nulla lex permittit Iudaizare*: & huius Paschatis

Chrysost. in 2. Orat. cõtra Iudæos.

Socrat. lib. 5. cap. 22. ἰουδαΐζειν χριστιανοῖς οὐδεὶς τοῦ χριστοῦ νόμος ἐπέτρεψεν.

chatis obseruationem non ex Christi, aut Apostolorum mandato, sed ex *consuetudine* natam esse scribit, quod de cæteris etiam festis quantumuis antiquis verissimè licet affirmare. σκοπὸς μὲν ἦν γέγονε τοῖς ἀποστόλοις ὑ περὶ ἡμερῶν ἑορτασικῶν νομοθετεῖν: *Apostolis*, inquit, *propositum fuit nihil de festis diebus sancire*. ἐξ ἔθους τινός.

Statorum verò ieiuniorum legem Montanus hæreticus primus tulit, à quo & alia multiplex superstitio in ecclesiam inuecta est, quam hodiè Pontificij libenter retinent. Hæc sacra atque has ceremonias, Sandere, Pontifex tuus diligẽter colit. In quo nihil facit, quod non ipsum Antichristum facere oportebat. Nunquam enim ostendes his temporibus & institutis, quæ apud vos solennia sunt, & quibus ecclesia vestra tantopere delectatur, inimicum fore Antichristum. Cum enim ista Christus nunquam aut quisquam Christi Apostolus decreuerit, sintque humana tantùm inuenta, & nunc superstitionem maximam habeant, causa nulla est, quãobrem hîc aliquid mutare, aut tollere cupiat Antichristus. Non enim superstitionem, sed veram religionem in Christi Euangelio, scriptísque Apostolicis traditam oppugnabit & euertet. Quare vt sit Pontifex horum temporum & legum vel maximè studiosus, tamen quousque pergit impiam doctrinam tueri Christi Euangelio contrariam, erit Antichristus.

Ceremonias verò Pontificias ab Apostolis esse traditas, si quis in te pudor, Sandere, reli-

quus esset, nunquam diceres. Illíne enim erant tam multarum ineptiarum authores? illi talem baptismi, Missæq; formā præscribebant? illi reliquas innumerabiles nugas, quibus omnes cultus Pontificij partes abundant, ecclesiæ tanquam aut decoras aut necessarias commendabant? Quasi ignotum sit, quid quisque ferè Pontifex aut nouum inuenerit, aut aliquo modo interpolarit, quando extat Polidori Virgilij liber de inuentoribus rerum, in quo perscriptum est, quē admodum iste ceremoniarum cumulus creuerit. Missæ authores Rupertus Tuitiensis commemorat: qui postquā multa multorum Pontificū inuenta scripsisset, ad extremū adiungit, *Sic studiosa diuinæ legis Romana ecclesia paulatim de thesauro suo noua pietatis monumenta, & quoddā veluti ex auro, lapidibúsque preciosis religiosi officij sancto sacrificio fabrefecit diadema.* Quare hoc Pontificiarum ceremoniarum diadema non Apostoli ecclesiæ reliquerunt, sed Pontifices è thesauro suo protulerunt. Atq; has Pontificias ceremonias Damasus Pontifex ignorauit, quemadmodum ex ea epistola, quam scripsit ad Hieronymum, intelligi potest: Sic enim scribit: *Tanta apud nos simplicitatis imago est, vt tantùm in die Dominica Apostoli epistola recitetur vna, & Euangelij capitulum vnū dicatur: & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.* Si has ceremonias Apostoli tradiderunt, cur illas Damasus contempsit. Clementis autem Apostolicas constitutiones nosti esse spurias, & Tertullianus

Rupertus de diuin. officijs lib. 2. cap. 21.

Damas. in 1. tom. Concil.

tullianus ad Montanum transijt, quem proinde mirum non est & multas ceremonias celebrare, & vobis admodum placere: Et tamen vt semper inconstans est superstitio, illas Tertulliani Traditiones iamdudum à Pontificijs abiectas & abiudicatas esse manifestum est. Si enim crucis signaculum excipias, nihil ex illis ceremonijs, quas in eo libro Tertullianus commemorat, Pontificij retinent: *non ter immergitant, non mellis & lactis concordiã post baptisma prægustant, nõ ex ipso die baptismatis per totã hebdomadã à lauacro quotidiano abstinent*, non cæteras illas, quas vocat Tertullianus *disciplinas*, obseruant.

Basilij quidem de Spiritu sancto librum agnosco, sed illas traditiones, quarum mentio fit in cap. 27. puto esse prorsus adulterinas, quod etiam Erasmo Roterodamo acutissimo patrum Aristarcho visum est. Is hunc librum de Græco transtulit in Latinum, & Ioanni Dantisco Culmensi Episcopo dedicauit. In præfatione sic scribit, *Visus sum mihi in hoc opere deprehendisse factum, quod celeberrimis quibusque laudatissimisque scriptoribus, veluti Athanasio, Chrysostomo, & Hieronymo factũ & videmus & indignamur. Quid ista, inquis? postquam dimidium operis absolueram, citra tædium visa est mihi phrasis alium referre parentem, aliúmque spirare genium*: & multa, quæ sequuntur in hanc sententiam. Nec tamen illis ipsis traditionibus Basilianis nunc Pontificij vniuersis vtuntur: quæ tamen si erant Apostolicæ, nullo modo debebant prætermitti. Græ-

Erasm. in præfat. in Basil. de spiritu sancto.

corum liturgiæ à Pontificio Missali multum differunt, & veterum conciliorum Canones Romanæ ecclesiæ instituta damnant, ipsúmque Romanum Pontificem centies excommunicatũ pronunciant. De Petro quod postremò narras, ἀπρόσφορον est. Si Petrus fuit caput duodecim Apostolorum, quid hoc ad totam ecclesiam attinet, aut quid ea res Pontificis Romani interest? Sed ad Demonstrationem, à qua digressi sumus, redeamus. Ea sic valet, *Si Pontifex Romanus tempora & leges non mutauit, tum nõ est Antichristus: at non mutauit tempora, aut leges: Non est igitur Antichristus.* Propositionẽ falsam esse, & ex scriptura perperam intellecta natam, docui.

Trigesima-octaua Demonstratio, quòd Papa, qui neque regibus malis, neque mercatoribus impiis gratus vnquam fuit, minimè sit Antichristus.

N. SANDERVS. Apoc. 18.



IOANNES *in Apocalypsi dicis*, Reges terræ cum Babylone (*quæ sedes & ciuitas Antichristi est*) fornicatas esse, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites factos esse: *Et iterum*: Plãgent super Babylonem, Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt, & negotiatores terræ flebunt super illam, & lugebunt, quoniam merces eorum nemo emet amplius, mercem auri, & argenti, & lapidis preciosi, & margaritæ, & bissi, & purpuræ, & serici, & coccini, & omne lignum Thymum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramẽto, & ferro, & marmore, & cinamomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum. Et omnis gubernator, & omnes, qui

in

in lacum nauigant, & nautæ, & qui in mare operantur, lōgè steterunt, lugentes & dicentes: væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari de pretijs eius. *Hic fletus regum, & mercatorū, & nautarum significat fletum non modò hominū istius ordinis, verùm etiam omnium impiorum, qui (vt Beda in hunc locum rectè admonet)* cunctas mundi pompas, & ea quæ vel sensibus corporis suauia, vel externis sunt vsibus accōmoda, deficere lugent. *Reges autē & mercatores, præ omnibus hominibus tū delicias consectantur, tùm iniuriam proximis inferunt: non quòd nulli sint, aut reges, aut mercatores boni, (absit) sed quòd status istorū periculis maximis subiectus sit. Reges ergo & mercatores primi omnium adorabunt Antichristum, partim quia vident eum obtinere diuitias, & potentiam seculi (quas res vt ipsi supra modum amant, ita per Antichristum se votis fruituros sperant) partim etiā quia timent, ne ab eo spolientur opibus suis, si nimium tardè ad eum confluant. At reges & mercatores impij minùs amāt pontificē Romanū: Papa igitur nō est Antichristus.*

Guilielmus Whitakerus.

QVòd Babylonem sedē & ciuitatē Antichristi fore statuis, accipio. Sed quænā hæc Babylō est? Quin ea Roma sit, negare non potes: & si negas, euincam. Quid nūc factum est templo tuo Hierosolymitano, in quo suprà sessurum Antichristum contendebas? Ita tuæ Demonstrationes inter se bellè consentiūt. Si enim Babylon est sedes Antichristi, & Roma, quæ imperiū in reges terræ habuit, hæc ipsa Babylō est, ergo Romę sedebit Antichristus. Quod ita verum est, vt id nunc vel ipsi Pontificij fateri cogantur. Sic enim Theologi Remenses scribūt, *credibile omnino est, Romæ sessurum Antichristum.* Miror vt pontifex hunc hospitem suum excipiat.

XXXVIII.

In Anno. in Apocal. 17. vers. 5.

Verùm ad Sanderi nunc Demonſtrationem
Apoc. 18. veniamus. Scribit in Apocalypſi Ioannes fore vt Babylon euertatur, eiúſque ruinam reges, mercatores, nautæ doleant, vehementiúſque deplorent. Ex quo non incommodè Sanderus Regibus iſtis, & mercatoribus, & nautis gratum imprimis Antichriſtum fore concludit. Niſi enim, Antichriſtũ perpetuò florentẽ eſſe cuperẽt, eius interitum iſto modo nunquam lugerent. Hinc nunc Sanderi Demonſtratio oritur: *Si Pontifex Romanus nõ eſt gratus regibus, & mercatoribus impijs, tum non eſt Antichriſtus: at Pontifex iſtis gratus nunquam fuit: non eſt igitur Antichriſtus.* Sãderi ſomnia mittamus, quæ nunquam vera ſunt. Quòd enim regibus, & mercatoribus odioſum eſſe Romanum Pontificem affirmat, id falſum eſſe orbis ipſe Chriſtianus teſtari poteſt. Quem enim malum regem, quos impios mercatores pontifex offendit: imò quò eſt quiſque melior aut rex, aut priuatus, eò eſt calumniæ, pontificiſque odio propinquior. Atque ea eſt impiorum regum, & mercatorum cum Pontifice Romano conſuetudo, vt fieri non poſſit, quin totũ hoc genus hominum & ſaluum illum cupiat, & perditum doleat. Sed alios Ioannes reges, & mercatores & nautas ſignificat, quàm iſtos, qui ſic vulgò his nominibus appellantur. Habet enim Pontifex reges ſuos, & mercatores, & nautas, quorum ſi facta conſideres, meritò ſic eos dici fatearis. Cardinales enim & Antiſtites Pontificios quis reges eſſe neget? At mercato-

res

res apud illos infiniti sunt, & omnia plena quæstuosissimis mercaturis. Potes enim Missas, sacerdotia, peccatorum remissionem, animæ liberationem, indulgentias immortales, quicquid sacrum est, aut salutare mercari. Nónne hæ verò pulchræ sunt & optabiles mercaturæ? Nautæ verò sunt harum rerum administri, qui mercaturas istas longè latéque transuehunt, & ex vectura maximos fructus percipiunt. Hi omnes quando Pontificem extinctum viderint, incredibilem animis dolorem capiant est necesse. Hic ille luctus est, hæ lachrymæ, quarum Ioannes meminit: & spero tempus fore intra paucos annos, quando istam Babylonem Dominus excindet, & Antichristum perpetua ignominia, mortéque mulctabit, & dolorem omnibus Antichristi amicis ac socijs æternum dabit. Quod Deus maturè faxit propter Iesum Christum, & Ecclesiam suam, Amen.

Trigesima-nona Demonstratio, quòd Papa, qui non habet nomen, quod contineat 666. minimè sit Antichristus.



NTICHRISTVS *ab humili & obscura origine, primùm blanditijs & simulatione, tandem vi & dolo, postremo autem opinione diuinitatis, eò potentiæ aspirabit, vt prohibiturus sit, ne quisquam emat, vel vendat, Apocal.* 13. nisi qui habeat characterem nominis bestiæ, aut nomen, aut numerum nominis eius. Hîc sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est. Et numerus eius, sexcenti sexaginta sex. *Græci autem elementis & literis in numeris suis conficiendis vtuntur. Ita-* N. SANDERVS.

quę cũ D. Ioannes Græcè scripserit, verisimilimũ est, tale nomẽ Antichristo fore, quod secundum morem numerãdi Græcorum, contineat sexcenta sexaginta sex. Si autem Romanus Pontifex fuisset Antichristus, cum is tot seculis ecclesiæ præfuerit: nõ difficile sapienti viro futurum erat, vt ostenderet, quodnam esset hoc Antichristi nomen. Si enim designandi hominis causa nomen imponitur, nec in ecclesia vnquãm desit vir aliquis sapiens, qui spiritum Dei habeat (est enim Christus cum successoribus Apostolorum omnibus diebus vsque ad consummationem
Mat. 28
seculi) vix intelligi potest, quomodo tot seculis ab Antichristi reuelatione nomen eius ne ijs quidem ipsis notum esset, qui dicunt eum sibi reuelatum esse. Protestantes verò nullum eiusmodi nomen aut ordini vniuerso Romanorum Pontificum, aut cuipiam vni attributum fuisse demonstrant: adeo vt Henricus Bullingerus numerum huius nominis ab homine (cui per Dei verbum adscribitur) ad tempus transtulerit, dicens: Antichristum sexcentis sexaginta sex annis, post hanc reuelationem Ioanni factam fuisse reuelatum; & id per huius nominis characterem indicari. Quare hinc patet, Papam non esse Antichristum.

Guilielmus Whitakerus.

XXXIX. ANtichristi tàm durum fore & seuerum dominatum, vt suos omnes nominis ipsius charactere inustos esse cogat, nec quenquam, qui hoc signo careat, publicis & necessa-
Apoc. 13.
rijs vitæ commercijs vti patiatur, Ioannes apertè scribit. Id in Romano Pontifice verum esse longo iam tempore experti sumus. Nam nullus est Christianus, qui vel Ecclesię filius, vel reipublicæ cuiusquam ciuis, vel omnino hominum in vita socius esse debere censeatur, quem non Pontifex stigmate aliquo suo notatum in fidem

fidem receperit. Qui non est notis Pontificijs compunctus, vt eum pro suo Pontifex agnoscat, huic omnia, quæ alijs libera sunt, communium negotiationum iura denegantur. Non Cæsar, non Episcopus, non sacrificus, non vllus homo est, cui non Pontifex caracterem suum, nomínísque numerum impresserit. Nam monarchæ, & præsules sese Pontifici iureiurando obstringunt, & extat monarcharum formula iuramenti Clement. lib. 2. tit. 9. præsulum vero Decret. lib. 2. tit. 24. Doctores autem & artium professores non antè gradus Academicos suscipiunt, quàm Pontifici fidem dant, in eius se futuros potestate. Sacrificus verò quiuis Pontificium characterem habet, eúmque planè indelebilem. Iam pueri cùm primùm sunt in lucem editi, à Pontificijs conspuuntur, & chrismate quodam in frontibus inunguntur. Denique, vt ait Ioannes, omnes & parui & magni, & diuites & pauperes, & liberi & serui huius Bestiæ characterem in manu, aut in frontibus accipiunt, eíque obedientiam pollicentur: & qui vel nomen Bestiæ, vel nominis eius numerum non habet, is proscribitur, & vitæ commodis priuatur.

De hoc autē huius nominis numero non placet multorum varias coniecturas persequi. Sunt qui annorum numerum indicari existimāt, quorum etiam rationes in Pontificem Romanum cadunt. Sed cum Ioannes hunc numerum ad nomen ipsum Bestiæ accommodet, illorum sententiam libentius amplector, qui in ipso no-

mine Antichristi numerum hunc constituunt. Quare nunc ad te, Sandere, accedo, qui ex hoc Ioannis loco Demonstrationem tuam sumis, qua Pontificem non esse Antichristum euincas. Sic autem argumentaris: *Si Papa nomen non continet numerum 666. tum Papa non est Antichristus: at nomen Papa numerum illum non continet: Papa igitur non est Antichristus.* Assumptionem dico esse falsam, & Papæ nomen profero, in quo numerum hunc inuenio. Cum autem Antichristus nec vnus Pontifex sit, nec vel toto Pontificum collegio constet, sed corpus ipsum, regnúmque Pontificium designet, nomen eiusmodi esse debet, quod non vni certo homini, sed toti huic generi hominum conueniat. Iam ergo num tale aliquod nomẽ sit, quod & numerum illum habeat, & huic nationi congruat, quæramus. Si quid hîc noui afferrem, fidẽ nullam facerem: quare veterem opinionem ab antiquissimis temporibus ductam sequar. Irenæus in nomine Antichristi indagando diligenter elaborauit, quemadmodum in lib. 5. cap. 25. perspicimus, vbi aliquot nomina proponit, in quibus ille numerus reperitur, ἐυάν, λατεῖνος, τεῖταν. Quanquam illud primum corruptum esse constat, quia quem pollicetur numerum, non præstat. Τεῖταν quidem illum numerum habet, & hoc nomen Irenæus cæteris anteponit, etsi nihil pronunciare audet. Et meritò sanè: cur enim hoc illi nomen magis placeret, nulla causa fuit. Dixerat antè, *Sed & λατεῖνος nomen sexcentorum*

torum

torum ſexaginta ſex numerum (habet) *& valdè verisimile eſt, quoniam veriſſimum regnum hoc habet vocabulum.* In hoc nomine acquieſco, nec vllum præterea deſidero, & Romanum Pontificem, qui totus eſt cum ſuis Latinus, hunc Latinum eſſe contendo. Si noſtrum hoc inuentum eſſet, multò probabiliùs contemni ac repudiari poſſet, & nos illud odio Pontificis finxiſſe videremur: nunc quando Romanum Pontificē eſſe Antichriſtum ex Scripturis demonſtramus, & hic Pontifex *Latinus* eſt, in medio Latio regnat, Scripturam Latinam proponit, ſacra Latina celebrat, nullos putat bonos Chriſtianos, niſi Latinos, denique omni modo ſe Latinum præbet,
& Irenæus veriſimile eſſe ſcribit, vt Latinus vo- λ α τ ἑ
cetur Antichriſtus, quod ille veriſimile eſſe di- 30.1.300.5.
xit, nos proculdubio verum certumque poſſu- ι ν ο 10.50.70.
mus affirmare. Huc accedit quod idem hic nu- ς
merus in his duobus vocabulis *Ecclesia Italica*, 200.
Græcis literis ſcripta habetur. Et vox etiam He- ἑ κ κ λ 5.20.20.30
braica, quæ *Romanum* ſeu *Latinum* ſignificat, η σ ι α
numerum eundem complectitur, *Romijth*, quod 8.200.10.1
opinor non tam facilè in quoquam alio nomine ι τ α λ
vero, non ficto, reperietur. 10.300.1.30

Iam quò minùs Pōtificij nomē hoc ſuſcipiāt, ι κ α.
ſuoq́; Papę tribuant, cauſas duas afferunt. Prima 10.20.1
eſt, quò d Græci nō λατεῖνος ſed λατῖνος ſcribant: ם ו ר
ita ſi hoc nomen verè & rectè ſcribimus, de illo 40.6.200 ת י י
numero nōnihil deſideramus. Reſpōdeo, primū 400.10.10.
vt iſto modo ſcribamus non niſi quinque annos nobis ex omni illo numero defuturos, quod exi-

guum eſt: deinde, cùm tritum ſit, ει apud Græcos perinde valere, atq; î apud Latinos, & nomina Græca quando fiunt Latina, ſic mutari, vt ει diphthongus i longum ſonet, veluti Ἀριστείδης, Πολυνείκης, *Ariſtides*, *Polynices*, mirum non eſſe ſi interdum vocalem i Latinam in ει conuertimus, & Irenæus *Latinum* dicere potuit λατεῖνον. Et valde familiare eſt Græcis, ε coniungere cum ι in vocabulis externis. Sic Cæſaria, quod Latinum nomen eſt, à Græcis Καισάρεια appellatur: Sic quam Latini tribum vocant Nephthalim, Græci Νεφθαλείμ dicunt.

Sed hæc leuia ſunt, maius illud eſt, quod Irenæus palam de imperio Latino loquutus ſit: Sic enim ait, *Latini ſunt qui nunc regnant*. Verùm etſi nomen ab Irenæo inuentum accipimus, ipſumq́; Irenæum in nomine probamus, tamen Irenæus ignorare potuit, ad quos hoc nomẽ potiſſimùm pertineret, & nos poſſumus Irenæum rectè ſentientem ſequi, falsò iudicantem dimittere. Nam vt Antichriſtus ſit tyrannus aliquis, quales tunc erant Romani Cæſares, qui nomen Chriſtianum oppugnabant, Paulus repugnat, qui illum hoſtem internum & domeſticum fore docet: deinde, etſi Latinum fore Antichriſtum Irenæus veriſſimè ſcripſit, tamen quia tunc ſtatus religionis integer fuit in Eccleſia Romana, nec niſi ſeculis pòſt nonnullis Antichriſtus in illam Eccleſiam inuaſit, hunc *Latinum* eſſe Pontificem non putauit Irenæus. Itaque Irenæo quòd nobis Antichriſti verum nomen dedit, gratias agamus, in

quo

quo errauit, ignoscamus, & hũc *Latinũ Antichristum* esse Rom. Pontif. nullo modo dubitemus.

Quadragesima Demõstratio, quòd Papa, qui plusquã tres annos & sex menses à reuelatione sua Ecclesiæ Dei præfuit, minimè sit Antichristus.



Reue spatium temporis, quo Antichristus regnabit, nullo modo patitur, vt dicamus, Pontificem Romanum, qui multò diutiùs in Ecclesia Dei præfuit, Antichristum esse. Primùm Ioannes Apostolus in Apocalypsi ait: post annos mille oportet Diabolum solui modico tempore. *Verùm quia poterat iterum quæri, quodnam sit hoc* modicum tempus, *alibi Spiritus sanctus eam rem apertissimè explicauit. Daniel enim Propheta ait:* Sanctos in manu Antichristi tradendos per tempus (*id est, annum vnum*) & tempora (*id est, annos duos*) & dimidium tẽporis (*id est, sex menses*) *Et cap. 9.* In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in templo abhominatio desolationis, & vsque ad consummationem & ad finem perseuerabit desolatio. *Abhominatio desolationis Antichristus est, ipso Christo interprete. Iam verò idem Daniel dicit:* Quousque finis horum mirabilium? *Et responsum est,* In tempus, & tempora, & dimidium tẽporis: *id est (omnium interpretũ consensu) ad tres annos & dimidium. Et post:* A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abhominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta: *qui dierum numerus non multùm excedit annos tres & sex menses. Porrò consentit cum Danielis prophetia, reuelatio Ioanni Apostolo facta:* Atrium, quod est foris, Templum, datum est Gentibus: & ciuitatem sanctam, calcabunt mensibus quadraginta duobus. *Menses autem quadraginta duo faciunt annos tres & dimidiũ. Et iterũ* Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis: *hi etiam dies parùm absunt ab annis tribus & sex mensibus. Et capite 12.* Væ terræ & mari, quia descendet Diabolus ad vos, habens iram

N. SANDERVS.

Apocal. 20.

Modicũ tẽpus.

Dan. 7.

Tres anni & sex menses.

Mat. 24

Dan. 12

Dies 1290

Apocal. 11.

Menses 42.

magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Et poſtquam vidit Draco (*Diabolus*) quod proiectus eſt in terrã, perſecutus eſt mulierem (*Eccleſiam*) quæ peperit maſculum. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, (*id eſt, annum vnum*) & tempora (*id eſt, annos duos*) *&* dimidium temporis (*id eſt, ſex menſes*) à facie Serpentis. *Et capite* 13. Datum eſt Beſtiæ os loquens magna & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. *Si vnquam diuina Scriptura diligentiam in vlla re declaranda adhibuit, hoc præſtitit cumulatiſſimè in deſcribendo temporis ſpatio, per quod Antichriſtus Eccleſiam perſequetur. Nec enim contenta fuit, vel* modici temporis *appellatione, vel temporis, & temporum, & dimidij temporis ſpatium ſemel ponere, niſi & bis, & tertiò eundem numerum repetiſſet. Nec in annorum nomine quieuit, niſi etiam ad* menſes certos *eiuſdem menſuræ ac longitudinis redegiſſet. Et tanquam parum fuiſſet* menſes quadraginta duos *bis enumerare: bis etiam ac ſæpiùs dies ferè totidem percenſuit, qui & annis & menſibus reſponderent. Quid quòd tam breue tempus Antichriſti eſſe Ioannes docuit, vt dicatur* beſtia, quæ fuit & non eſt? *Quod Irenæus de Antichriſto dictum eſſe annotauit. Nam etſi omne tempus Deo breue ſit, tamen vt in Antichriſto recapitulatur, & in vnam velut ſummam colligitur omnis iniquitas: ſic breuis duratio ſtatus peccati, & facilis mundi huius tranſitio per breuiſſimum hoc regnum Antichriſti optimè figurantur: cùm alioqui multis ſeculis (id quod Proteſtantes credunt) regnaret: neque ſatis ſignificanter figuraretur huius mundi vanitas, & præ magnitudine tentationis* vix ſalua fieret vlla caro. *Qua in re libet grauiſſimum Auguſtini iudicium adſcribere:* Si diabolus permitteretur exercere totam tentationem, quam poteſt, in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deijceret, & ne crederent, impediret, quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc autem ſoluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & ſex menſibus legitur totis ſuis ſuorúmque viribus ſæuiturus. *Quapropter cum Papa in oculis omnium per multis etiam ſeculis vltra tres annos & ſex mẽſes*

Ecclesiæ Dei præfuerit: non errabit, neq; falsi quippiã dicet, qui per viuentem in æternũ iurauerit, Papam non esse Antichristũ.

Guilielmus Whitakerus.

AD fundum tandem peruentum est harũ XL. Demonstrationum, & nunc, quod reliquum est, facilè exhauriri potest. Argumentum sumitur à temporis breuitate, quę tanta est, si credimus Sandero, vt cum regni Pontificij diuturnitate constare nequeat. Pontifex enim multis seculis Ecclesiam rexit, Antichristus autẽ breuissimo tempore regnabit: quod si verum est, non erit Pontifex Antichristus. Demonstratio hoc syllogismo cõtinetur, *Si Antichristus tribus tantùm annis & dimidio regnabit: tum Pontifex Romanus, qui multo diutius Ecclesiæ præfuit, non est Antichristus: verum autem est antecedens: ergo & consequens.* De tribus autem annis & sex mensibus multa Sanderus Scripturæ testimonia cumulauit, quorum quædam omnino sunt aliena. Nã quod primo loco, ex Apo. 20. adducit de Satana post mille annos ad modicum tempus soluendo, id non est necesse de Antichristi temporibus intelligere. Nam & Antichristus regnare potest, dum Satanas ligatur, id est, Ecclesiæ persequẽdæ potestate priuatur, & satanas solutus esse potest, vt tamen Antichristus, nondum in Ecclesia grassetur, quod annis à Christo, primis trecentis factum est. Sed vt Satanæ hanc solutionem ad tẽpus Antichristi pertinere fateamur, tamẽ *modico tempore*, tres annos & sex menses indicari quo modo intelligemus? Etsi longum est per se tamẽ

modicum meritò appellatur, quia ſpatium illud, quod reſtat Satanæ ad finem mundi, cum ſuperiorum temporum diuturnitate collatum, eſt perexiguum. De Daniele quid aliud reſpondeã, quàm quod toties audiſti? Quæ ex cap. 7. & 12. affers, ad Antiochum referenda ſunt: medius ille locus è ca. 9. ſumptus, de Chriſto intelligi debet, qui poſt tres annos & dimidiũ mortẽ obijt, & ſacrificijs Moſaicis perpetuum finem attulit. Hoc tu Sandere quomodo auſus es ad tuum Antichriſtum accommodare?

Deinde quando Danielem cum Iohan. coniungis, cur non Danielis & Iohan. numeros di-
Dan. 12. 11 uerſos cõcilias? Daniel enim dies numerat. 1290
Apoc. 11. 3. Iohan. autem 1260. Si Antichriſtus tam multis durabit, quàm multos Dan. numerauit, erit eius regnum diuturnius, quàm tu ſtatuis: venio ad Apoc. in qua tempus Antichriſti deſcribitur, & de Antichriſto certiſſima vaticinia feruntur. Iohan. autem hoc tempus variè proponit, dierum, men-
Apo. 12. 16. ſium, annorum numeris. Dierum 1260. meminit
Apoc. 11. 2. & 13. 5. cap. 11. & 12. Menſes 42. commemorat in ca. 11
Apo. 12. 14. & 13. Annos tres & dimidium conſtituit in cap. 12. Hæc omnia eodem recidunt eundemq́; numerum efficiunt. Quid ergo eſt, quo minùs tantundem temporis, nec amplius Antichriſto tribuamus, quantum illi Ioan. aſſignauit, & Sanderi Demonſtrationẽ tam egregiè concluſam veneremur? Nequaquã verò. Non enim Ioannes certum ac definitum, dierum, menſium, annorũ numerum præſcribere voluit, etiamſi idem tem-

pus

pus varijs modis significauit. Sic enim ca. 14. ait, Apoc. 14.
cum agno fuisse centū quadraginta quatuor millia, quæ nomen Patris ipsius in frontibus inscriptum haberent. Atque hunc numerum prius etiam designarat, quando ex quaq; tribu *duodecim millia* obsignata esse dixit. Quid ergo? certam hominum multitudinem his numeris comprehensam esse statuemus? Absit vt ita desipiamus. Verùm & hic & illic Iohannes incertum numerum pro certo posuit, quemadmodum Scripturis tritum est.

Hoc autem modo declarauit Antichristi breuem & non perpetuā tyrannidem fore. Hebdomas enim plenum & perfectum numerum indicat, pars autem media hebdomadis est tria & dimidium. Ita Dominus illius hebdomadis dimidium abstrahit, quando non pergit nobis irasci, nec Antichristum progredi sinit, sed aduersariū hunc in medio cursu reuocat, & coercet. Et voluit Ioan. ad tempora Dan. alludere, & forsan etiam ad numerum annorum, quibus Christus palam Euangeliū docuit. Nam si ista de tribus annis & sex mensibus, cōmuni modo accipiamus, tum certi sumus, postquam iste Antichristus in medium semel prodierit, & regnare cœperit, mox Christū his annis & mensibus expletis adfuturum: atq; ita possumus ad eius temporis cognitionem peruenire, quod Christus & ignorauit, & perpetuò ignotum esse voluit. Nam Antichristum Christus aduentu suo glorioso abolebit: ergo non ante aduentū Christi Antichristus abolebitur, at post tres annos, & sex menses abolendus Antichristus est, ergo tū veniat Christus ne- 2. Thes. 2.8

cesse est. Huc nos tandem Sanderi præclara Demonstratio perduxit. Quid patres de his annis ac mensibus senserint, Sandero discutiendum relinquo. Atq; id nunc in extremo de Patribus semel respondeo, quod Cyrillus Hierosol. cuius tam sæpe Sanderus, in istis Demonstrationibus meminit, verissimè & diuiniss. monuit. δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν, ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν: μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι: μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν. *Oportet*, inquit, *de diuinis & sanctis fidei mysterijs ne minimũ quidem sine diuinis scripturis tradi: nec simpliciter probabilibus argumentis, & verborũ structuris abduci: nec mihi ista tibi dicenti credas simpliciter, nisi eorũ, quæ dicuntur Demõstrationem ex diuinis Scripturis acceperis. Hæc enim salus fidei nostræ, nõ ex verborũ acumine sed ex demonstratione sacrarũ Scripturarũ est.* Hic malleus omnes pene Sanderi nostri fragiles Demonstrationes vitreasque ineptias vno ictu confregit. Quare iurent, quantum volent Pontificij, nec vllum faciant finem peierandi, nobis licet illud augustissimum verissimumque iusiurandum iurare, *per eum qui viuit in æternum*, Pontificem Romanum esse ipsissimũ Antichristũ, id est, Antichristiani regni principem: nec vllum alium deinceps ad finẽ mundi expectandũ esse Antichristum.

Cyril. Hiero. Κατηχ. δ.

Finis Demonstrationum Sanderi.



Ερανιστὴς,

IN QVO NONNVLLA FRAGMENTA VETERVM HAERESEΩN INDICANTVR AD CONSTITVENDAM ECCLESIÆ Pontificiæ ἀποστασίαν collata.



VANDOQVIDEM Sanderus noster affirmat, idque Pontificij cæteri iactitant, nullam doctrinam, aut opinionem à Romana Ecclesia defensam aut susceptam esse, quam olim damnatam fuisse tanquam hæreticam constat, putaui mihi necessarium, vt postquam ad omnes Sãderi pro Antichristo Romano Demonstrationes respondissem, huius etiam orationis vanitatem paucis refutarem. Etsi verò nulla hæresis fuit, quæ non ad Antichristi regnum spectaret, & momenti aliquid ad illam ἀποστασίαν afferret, tamen non omnia veterum hæreticorum ἀξιώματα ab illis recepta sunt, ad quos nomen & munus Antichristi pertinet. Sic enim fieret, vt repugnantes & contrarias opiniones innumerabiles alerent, quarum vna alteram perimit,

quod ab illo iniquitatis mysterio alienũ esse debuit. Quædam tamen hæreses sic omnino in illo corpore hærent atq; eminent, vt omnibus sint manifesta, quantumuis eas occultare, & fucis quibusdam oblinere Pontificij conentur. Erit autem operæpretium, non modò quas nouas hæreses Antichristus inuexerit, sed quas etiam antiquas propagarit, considerare. Pauca capita mihi consectari sufficiet: cuiuis facile erit hunc numerum facere pleniorem.

Ederus in Babyl. pa. 5.

1 SImoniani imaginem colebant Simonis & Selenes, quorum hæresim secuti sunt: Sic religiosorum ordines Pontificij imagines illorum hominum colunt, qui primi authores Ordinum extiterunt.

2 Basilidiani imagines colebant, & incantationes quasdam atq; inuocationes adhibebãt: testis Irenæus, *Vtuntur autem & imaginibus, & incantationibus, & inuocationibus*. Hoc ipsum faciunt Pontificij.

Iren. lib. 1. cap. 23.

3 Carpocrates pictas quasdam imagines in precio habebat, tum aliorum, tum Christi: testis Irenæus, *Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus.* Sic Christum Pontificij & pingunt, & sculpunt, & eius formam à Luca Euangelista pictam fuisse tradunt. Si illam Gnosticorum superstitionem vetus Ecclesia damnauit, non possunt Põtificij excusari, quorum hac in re multò grauior

Iren. lib. 1. cap. 24.

culpa

culpa eſt.

4 Baſilidiani, & Carpocratiani dogmata ſua occultabant: teſtis Irenæus, & Epiphanius: *Nos* (inquit) *Baſilides, homines ſumus, cæteri omnes canes ſunt & ſues: nolite ergo, margaritas proijcere porcis, aut dare ſanctum canibus.* Sic Pontificij non permittunt Scripturas à vulgo legi, ne porcis margaritæ proijciantur, aut ſanctum canibus detur: Si Baſilidiani hæretici habiti ſunt, quia fidem ſuam notam eſſe vulgò noluerunt, ſunt etiam hæretici Pontificij, qui populo fidem carbonariam ſufficere affirmant, & Scripturas nō niſi à certis quibuſdam, quos in hæreſi ſua obfirmatos eſſe ſciunt, legi patiuntur. *Iren. lib. 1. cap. 23. Epip. hæreſ. 24.*

5 Marcoſij in Baptiſmo verba quædam Hebraica proferebant, vt auditores obſtupefacerēt & terrerent. Pontificiorum peior cauſa eſt, qui in omni liturgia nihil aliud niſi barbarum & ignotum ſonant, vt hoc modo ſua ſacra auguſtiora & ſanctiora videri faciant. Atque hoc etiam alij hęretici factitabant. *Irē. l. 1. c. 18*

6 Marcus videri voluit vinum Euchariſtiæ in ſanguinem tranſmutare: quod ipſum Pontificij omnibus perſuaſum eſſe volunt, cum primùm fuerint verba conſecrationis peracta, nihil niſi ſanguinem remanere, & nonnunquam falſa ſpecie oculos ſpectantium fallere conantur. *Epip. hære. 34*

7 Heracleonitæ mortuos vngebant oleo, balſamo, aqua, atque hoc modo illos ab æterna morte redimi putabant: eadem eſt pōtificiorū ſuperſtitio, quā etiā cū Marcoſijs cōmunem habēt. *Auguſt. de hær. cap. 16. Epip. hæreſ. 36 Irē. l. 1. c. 18*

Epip. hære. 42 8 Marcion mulicribus permisit, vt baptizarent: quod etiam Pontificij faciunt.

9 Osseni nihil opus esse affirmabant, vt preces notis verbis & lingua intellecta fierent: sic Pontificij populum docent incognito sermone vti, & verba peregrina pronunciare, cum precantur.

Epip. hære. 19. ante Christum.

Theodoret. diuin. decr. cap. de baptism. 10 Messaliani Baptismum ad præcedentia duntaxat peccata abluenda valere affirmabant: ita Pontificij vim baptismi ad illa peccata referunt, quæ baptismum præcedũt: quæ deinde admissa fuerint, pœnitentiæ sacramento ascribunt.

Epi. hær. 46 11 Tatianus, multique alij hæretici nuptias impuras esse affirmabant: sic Pontificij suos sacerdotes coniungi matrimonio prohibent, quia eos hoc modo pollui statuunt, quemadmodum prolixè disputatur apud Gratianum. dist. 82. c. Proposuisti. Quanquam Paulus non modò qui damnant, sed qui vel prohibent nuptias, hæreticos vocat. 1. Tim. 4. 3. κωλυόντων γαμεῖν.

12 Manichæi nuptias in electis suis, id est, *Aug. ep. 74* sacerdotibus damnabant, in cæteris permittebant: sic Pontificij matrimonium in populo tolerant, in religiosis suis ac spiritualibus omnino impium esse contendunt.

Leo Serm. 4 de quadrag. 13 Manichæi in communione alteram duntaxat speciem, nempe panis, adhibebant: sic Pontificia Ecclesia panẽ duntaxat populo præbendum esse docet.

August. de morib. Ecclesiæ & Manichæ lib. 2. ca. 13 14 Manichæi ieiunia sua ex genere ciborum æstimabant, vt quanquã delicijs exquisitissimis circumfluerẽt

circumfluerent, si tamen à carnibus & vino abstinerent ieiunare viderentur: sic Pontificij ieiuniũ suum non in abstinẽtia, sed in genere & delectu ciborum collocant, quod August. meritò ridet.

15 Montanus omnem scripturam suscepit, sed ea tamen integram doctrinam nobis necessariam ad salutem contineri negauit: itaq; paracletum finxit, qui quod inchoatum erat, perficeret, & Ecclesiam omnia necessaria doceret: sic Pontificij scripturas quidem suscipiunt, sed tamen scripturæ doctrinam nobis non sufficere ad salutem defendunt, aliaq; multa adiungunt, quæ in scripturis non traduntur: in quo Montani paracletum Pontificij sibi vendicant. Atque hinc maximam suarum traditionum & cæremoniarum partem hauserunt: præsertim cum constet Romanum etiam Episcopum Montano fauisse, quemadmodum legimus apud Tertullianum contra Praxeam in principio: quod beatus Renanus ingenuè fatetur his verbis, *Episcopus Romanus Montanizat.* *Epip. hæres. 48.* *Renanus in margine*

16 Montanus primus certas ieiuniorum leges præscripsit, cum scriptura nihil de certis statisque ieiunijs tradiderit: sic Pontificij ieiunijs nullis nisi fixis certorum dierum vtuntur, quod planè Montanicum est. *Apollonius apud Eusebium lib. 5 cap. 17*

17 Montanus docuit exigua peccata post hanc vitam luenda esse, nec animas ex carcere liberandas, donec *nouissimum quadrantem* soluerint: Sic enim Tertullianus ex Montani sententia scribit, his verbis, *hoc etiam paracletus fre-* *Tertul. de anima in fine.*

quentissimè commendauit. Atq; hæc ipsa est Pontificiorum sententia, quam etiam acerrimè defendunt. Sunt etiam Montanica alia à Pontificijs recepta, de quibus Tertullianus in libro de Anima, & de Corona militis meminit, veluti; Abrahæ sinum apud inferos extitisse, Patriarchas ante Christi aduentum in inferis fuisse, nullorum nisi martyrũ animas mox in paradisum migrare, preces & oblationes pro mortuis faciendas, externam vnctionem post baptismum adhibendã, Crucis signo vtendum, anniuersarias oblationes pro natalitijs celebrandas esse, quæ quidem nec in Scripturis præscripta, nec ab Apostolis instituta sunt, quemadmodum ipse fatetur.

Theodoret. 18 Helcesaitæ duplicem Christum faciebãt, alium suprà, alium infrà: sic Pontificij duplicem Christum fingunt, alium supernè in cœlo, qui veri corporis naturam habeat, alium infernè in Sacramento, qui proprietates omnes veri corporis amiserit.

August. ad Quodvult. cap. 27. 19 Pepuziani ministerium ecclesiasticum fœminis permittebant, sic Pontificij fœminæ cuiuis licere statuunt, Baptismi sacramentum administrare, si id ficta quædam necessitas postulat.

Epiph. hær. 53 20 Sampsæi duarum fœminarum, quas vt Deas colebant, puluerem pedum, & sputum seruabant, & hæc ad morbos curandos valere persuadebant, eisque vt amuletis & περιάπτοις vtebantur: sic Pontificij diuorum reliquias colunt, & circumferunt, & ad valetudinem vel tuendam,

dam, vel recuperandam multum prodesse putant. Similis fuit Ossenorum superstitio.

Epiph. hær. 19. ante Christum.

21 Cathari de operum suorum meritis gloriabantur, & se insita iustitia sanctos purosque esse sentiebant: multò autem absurdius Pontificij operum suorum meritis confidunt, seque insitis suis virtutibus iustos fieri statuunt.

Isidor. Etym li.8. c. de hæres. Christ.

22 Angelici angelos colebant: quod ipsum etiam Pontificij faciunt. Quod de Cainis etiam scribit Epiphanius hæres. 38.

Augusti. ad Quodvult. cap. 39.

23 Apostolici nullos in suum numerum admittebant, nisi qui voluntariam paupertatem & cælebatum vouebant. Tales sunt Pontificij Monachi, & fraterculi.

Aug. ca. 40. Epip. hæ. 61

24 Origenes animarum quandam purgationem somniabat post hanc vitam, & purgatoriũ primus ferè inter Christianos doctores defendebat: sic Pontificij purgari animas postquam excesserint è corpore tradunt, & purgatorium vehementissimè propugnant.

Aug. ca. 43.

25 Donatistæ negabant veram & certam ecclesiæ notam esse verbi puram prædicationem, & scripturæ doctrinam: hinc Augustinus toties illos ad scripturas reuocat: Idẽ Põtificij docẽt, & alias veræ Ecclesiæ notas præter istam assignant.

Aug. in varijs locis

26 Augustinus ex Philastrio quorundam meminit, qui nudis pedibus semper ambularẽt, eosq; hæreticos vocat: videant ergo Franciscani, & Cordigeri quid sit de ipsis statuendum.

Au. ca. 68

27 Collyridiani Mariam colebant, & adora-

Epip. hæres. 79 bant, quos propterea Epiphanius idololatras vocat, & Mariam à nullo homine colendam esse disertè scribit: Pontificij Mariam colunt & adorant, eiq; λατρείαν deberi docent.

Cassian in Psal. 60 28 Donatistæ affirmabant Ecclesiam esse localem: sic Pontificij localem Ecclesiam faciunt, quando Ecclesiam in locali tantùm successione Episcoporum constituunt.

Aug. contra Iuliã. l. 1. c. 2 & duas ep. Pel. l. 2. c. 4 29 Innocentius Pontifex Romanus, cum illa Ecclesia, Eucharistiæ Sacramentum paruulis ad salutem necessarium esse iudicauit: hanc sententiam Tridentina Synodus damnauit, ijsque anathema denunciauit, qui sic sentirent, his verbis, *Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ Cõmunionẽ, Anathema sit*. Sub Pio quinto, Sess. 5. Can. 4. Ergo aut vetus Ecclesia hæretica fuit, aut ista.

Aug. contra Iuliã. l. 3. c. 5 30 Pelagiani in paruulis peccatum esse negabant, quia peccatum nascitur ex voluntate, & ratione, nec est in paruulis voluntas & rationis actus: sic Pontificij concupiscentiam negant esse in paruulis peccatũ, quia non est in illis voluntaria, vt in Censura Coloniensi perscribitur.

Aug. contra Iulian. lib. 1 c. 2 31 Pelagiani vitium aliquod inhærens, & insitum peccatum esse in paruulis negabant: sic scholastici plerique tradunt, sic Pigghius, sic Andradius, sic Catherinus defendunt, sic Tridentino Concilio non displicet, quemadmodũ ex Andradio in Orthodoxis explicat. patet.

32 Pela-

32 Pelagiani operũ nostrorum meritis dari gratiam affirmabant: sic pontificij fingũt gratiam de Congruo & Condigno. *Augustin.*

33 Pelagiani affirmabant hominem præditum esse libero arbitrio, antequam Dei gratiã acceperit: sic pontificij docent hominem ante gratiam habere quidem liberum arbitrium, sed peccatorum laqueis sic implicatum, vt eo liberè vti nequeat, quemadmodum constat ex Conc. Trident. & Andradio. Sed cæteras non persequar Pelagianorum hypotheses, quæ sunt ferè innumeræ, illis cum nostris pontificijs cõmunes, de Originali peccato, de libero arbitrio, de naturæ viribus, de prædestinatione. *Augustin.*

34 Armenij crucem Domini venerabãtur, ac proinde σταυρολάτραι dicti sunt: sic pontificij Crucis signum colunt. *Euthymius in panoplia.*

35 Idololatræ veteres negabant se ipsa simulachra colere, sed tantùm intueri effigiem eius rei, quam colere deberent: sic pontificij Idololatræ respondent se non ipsas statuas adorare, sed personas quarum hæ statuæ sunt, & quarum nominibus consecrantur. Hos licet Lactantij verbis refutare, *Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? cur ad parietes, & ligna, & lapides spectatis?] quid sibi Templa, quid aræ, quid denique ipsa simulachra volunt, quæ aut mortuorum, aut absentium sunt monimenta?* *August. in Psalm. 113 in Con. 2. & Lactan. lib 2. cap. 2.*

36 Idololatris quibusdam antiquis solenne fuit corpora sua vulnerare ac lacerare, quod illi faciebant, vt suos Deos placarent: sic flagel- *Lact an. lib 1. cap. 21.*

larij pontificij manus cruentas sibi ipsis afferũt, eóque modo placari Deum amentes arbitrãtur.

Lactan.lib. 6. cap. 2. 37 Idololatræ prisci soliti sunt in sacris suis Lucernas accendere etiam meridie: sic pontificij lucernas multas adhibent clara die, quando sua sacra celebrant. Horum insaniam ridendámne magis, an deplorandam cẽseam, ignoro.

HIERONYMVS IN GALAT. I.

Quicunque aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est: licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

THESIS





THESIS PROPOSITA ET DEFENSA IN CANTABRIGIENSI ACAdemia die Comitiorum: Anno Domini M. D. LXXXII.

Pontifex Romanus est ille Antichristus, quem futurum scriptura prædixit.

REm *magnam aggredior, viri præstantissimi, plenámque discrimine ac difficultate, vt Pontificem Romanum, qui se Christi summũ in terris Vicarium, Petri successorem, caput Ecclesiæ Christianæ, Episcoporum omnium principem, Catholicorum maximè Catholicum, oraculum quoddam religionis, & Deum inter homines mortalem profitetur, eum ego ipsissimum esse Antichristum, Dei hostem, Christi perduellem, religionis aduersarium, hæreseωs antistitem, Ecclesiæ parricidam in hac tanta doctissimorum homi-*

num celebritate doceam ac defendam. Verum animis paulisper adeste, qui adestis corporibus, & si minùs forsan rectè hactenus de improbissimo monstro iudicare propter communem errorem potuistis, nunc tandem depositis coniecturis veram sententiam suscipite, & quem scriptura prædixit, tempus patefecit, Ecclesia multis seculis pertulit Antichristũ, agnoscite, conspuite, diris infernis deuouete. Quid enim & liberè sentire, et loqui apertè dubitemus, aut quid omnino in causa tã necessaria & manifesta claudicemus? Si Pontifex Romanus sit Antichristus, quẽ esse, nisi prudentes errare volumus, nõ possumus ignorare, quid ampliùs aut aliũ Antichristũ expectamus, aut nõ hunc Antichristũ appellamus? Spero autẽ postquã dicta causa est, nulli vestrûm fore dubiũ, quin ille eximius Pontifex, qui se tantopere iactat, verus sit & vnicus Antichristus, vt qui perire perpetuò nolunt, hunc execrari, & huius societatẽ fugere debeant. Agam autẽ quemadmodũ disputãdi recta ratio præscribit, vt quod institui, κατασκευαστικῶς scripturarũ authoritate concludã, quicquid est argumentorũ, quod cum causa pugnare videatur, id totũ in oratione prætermittam. Nunc enim rem exponere ac demonstrare debeo, aduersariorum argumenta tum diluere,

diluere, quando ad respondendū accedo. Sumam autem initiò quod mihi necessariò tribuendum est, descriptum esse in scriptura verissimis certissimisque notis Antichristum, vt neq; vllum extra scripturas Antichristum fingamus, & illum esse reuera Antichristum, cui illa omnia aptissimè conueniunt, quæcunque in scripturis de Antichristo legimus, pro certo affirmemus. Nam aut hoc necessarium erit, aut Antichristum nobis spiritus sanctus malè definiuit, quod dici sine blasphemia non potest. Itaque hoc ponam sententiæ defensionisq; nostræ fundamētum, de Antichristo scripturam tradidisse quicquid de Antichristo scire ecclesia debuit, illúmque esse sine omni controuersia verum, vel falsum potius Antichristum, in quo illæ notæ hærent, quibus Antichristum spiritus sanctus depingere, eiúsque viuam quodammodo propriámque effigiem proponere spectandam voluit. Quæ verò in totis scripturis de Antichristo præscribūtur, ea & Romano Pontifici singula congruere, & vniuersa nulli præterea posse tribui defendo. Sumitur autem Antichristi in scripturis dupliciter nomen, vel communiter, vel propriè. Quemadmodum enim Christi nomen ad eos omnes interdum accommodatur, qui cum Christo habent

in vnctione similitudinem, quales erant prophetæ, reges, sacerdotes, & cuiusmodi est, quod Propheta habet Psalm. 104. Nolite attingere Christos meos: interdum verò propriè pro ipso Dei filio in carne patefacto, nostro redēptore, & seruatore Iesu Christo: ita nomen Antichristi nunc in scripturis accipitur pro quouis aduersario Christi, quemadmodum 1. Ioannis 2. Nunc Antichristi multi sunt, id est, multi nunc apostatæ, qui Christi puram doctrinam corrumpere conantur, grassari cœperunt: nunc propriè pro illo summo Antichristo, qui non in vna re aut altera, sed in tota quodammodo religione regnóque Christi, ipsum Christum audacissimè oppugnat. Sic locutus est de Antichristo Ioannes eodem in loco, quando ait, Pueruli, vltima hora est: & sicut audiuistis Antichristum venturum, & quæ sequuntur. De hoc etiam Antichristo intelligenda sunt, quæ scripsit Paulus in 2. ad Thessalonicenses epistola, cap. 2. Est ergo nobis instituenda oratio non de illis minutis multisque Antichristis, qui futuræ ἀποστασίας & horrendi Antichristianismi semina sparserunt, sed de illo eximio Antichristo, qui Christo per omnia aduersatur, & cuius illi anteambulones extiterunt. Quando autem dico Romanum Pontificem esse hunc

hunc magnum Antichristum, id intelligo hunc
esse principem & caput illius ἀποστασίας, quam
scriptura præmonstrauit, futuramq́ in Ecclesia
prædixit. Non enim debemus existimare to-
tã Antichristi vim in vno Pontifice inclusam
esse, sed regnum ipsum pontificium, quod Chri-
sti regno contrarium est, Antichristus ve-
rissimè appellatur, cuius regni quia Pontifex
Romanus caput est, illum ego per συνεκδοχὴν
membri Antichristum dico. In quo scriptu-
ram omnino magistram ducemq́ sequor, quæ
quando de illo Antichristo verba facit, nunc
regnum totum corpúsque designat, vt cum
Paulus ait, Nisi venerit defectio prius, &
nunc peragitur mysterium iniquitatis: nunc
vnum quendam in hoc regno summũ & præci-
puum proponit, ex quo totum nequitiæ corpus
pendeat, vt quando scribit, sese opponens &
efferens aduersus quicquid dicitur Deus aut
numen, & præ se ferens se esse Deum. Possunt
hæc non de toto corpore, sed de capite, pontifi-
ce Romano, intelligi. Iam ergo postquam con-
stat, quid nos Antichristi nomine significe-
mus, ad rem ipsam causámque accedamus, &
quid scripturarum monimentis de Antichri-
sto proditum accepimus, discutiamus, ex quo
Romanum pontificem esse, vt nos dicimus,

Antichristum, omnes qui non sunt erroribus Antichristianis imbuti intelligant & fateantur. Breuitatem autem de industria adhibebo, & multa paucis, longa breuibus complectar. Danielem veteres ferè omnes, nonnulli etiam recentiores, iiq; Theologi doctißimi, de Antichristo loquutum esse statuunt, in cap. 11. circa finem. Quæ enim illic leguntur, Antiocho Epiphani τυπικῶς, Antichristo propriè & verè conuenire iudicant. Pontificij quidem nulli, quod sciam, dubitant, quin hic Antichristi mentionem propheta faciat. Quod si ita est, quis qualísque sit futurus Antichristus, possumus ex hoc loco cognoscere. In illa enim oratione Danielis non adumbratam leuiter, sed expressam ad viuum Romani Pontificis imaginem contemplari licet. Primùm enim faciet, inquit Propheta, iuxta voluntatem suam. Et quidem Papa iam multis seculis fecit, quicquid ei libitum fuit, non modò in rebus ecclesiasticis, sed etiam politicis. Id enim sibi sumit, vt reges creare, mutare, tollere, subditos fidei iuramento liberare poßit, habeátque authoritatẽ imperia quæuis extirpandi, demoliendi perdendi, destruendi, ædificandi, plantandi. Atque hanc potestatem & exercuit iam olim erga nonnullos reges ac

Cæsares

Cæſares, & in noſtram quoque principem voluit, vt noſtis, exercere. In rebus autem ſacris multò maiorem ſibi licentiam tribuit: cuius omnia dicta, placita, decreta, ſpiritus ſancti oracula cenſeri debent, quicquid ei placet Catholicum, quicquid diſplicet hæreticum iudicandum eſt. Si ſecum animas hominum innumerabiles traxerit ad inferos, tamen nefas eſt ei dicere, quid facis. Diſt. 40. Si Papa. & tritum eſt apud Pontificios axioma, quod illorum nullus auſit negare, Papæ pro ratione eſſe voluntatem. Deinde ait propheta, Exaltabit ſe ſupra omnem Deum, quod de Antichriſto etiam Paulus diſertè ſcribit. Id quemadmodum Pontifex faciat, deinceps exponemus, quando ad Pauli locum accedimus. Tertiò ſubiungit Propheta, proſperè illi ſuccedet, donec conſumatur ira Dei. Quis ignorat mira regni Pontificij incrementa, quouſque Dominus hunc Antichriſtum populo ſuo patefecit? Quartò loco ſequitur, Deum Patrum ſuorum non intelliget. Et Deum nobis nouum Pontificij excogitarunt, qui non eſt Deus Chriſtianorum. Deum habent fictum, Chriſtum fictum, cælum fictum, religionem, non quam Patres Apoſtoli docuerunt, ſed quam ipſi inueni-

re & fingere sibi potuerunt: id quod deinceps faciam magis manifestum. Quintò propheta scribit, Non curabit amorem mulierum. Pontificij verò etsi non sunt omnium hominum minimè mulierosi, tamen nuptias in suis omnibus iustas licitásque damnant, & infandas ac plusquam Sodomiticas libidines, fœdámque turpitudinem honesto sanctóque coniugio anteponunt. Sextò, Deum colet auro & argento, & lapide precioso. Apud Pontificios spiritualis & verus cultus perijt, religio omnis in externo splendore, & magnificis ornamentis templorum & statuarum, Missarúmque pompis consistit. Postremò addit, multiplicabit gloriam, & suos faciet dominari, & terram eis diuidet. Quis luxus, quæ gloria, quæ magnificentia, quæ potentia, quæ diuitiæ, quàm erant Pontificiorum, maiores esse possunt? Quicquid est in orbe Christiano iucundum, fructuosum, amœnum, pinge, optabile, id non ita pridem fuit à Pontificijs occupatum. Quare quin ista sic Romanum Pontificem attingant, vt nulli omnino mortali aptiùs conueniant, existimo quidem neminem dubitare. Sed quando aliqui sunt, quibus nondum exploratum est, locutum esse de Antichristo Danielem, & si locutus sit,

non

non nisi ἰουδαϊκῶς locutum esse constat, ad nouum Testamentum veniamus, in quo nobis à spiritu sancto monstrum hoc Antichristianum apertè, luculentéque describitur. Nec singula tamen consectabor, sed in locis illustrissimis versabor. In Epistola ad Thes. 2. cap. 2. fieri de Antichristo mentionẽ nullus omnino Christianus vnquam dubitauit. Quare locum illũ paulò diligentiùs expendamus, & cum Apostoli Antichristo, quem esse verum Antichristum necesse est, Romanum Põtificem comparemus, vt ex veris proprijsq́; signis rem ipsam agnoscere discamus. Thessalonicenses sibi falsò persuaserant instare Christi aduentum, mundique interitum: Apostolus hunc illis eripere conatur errorem, & doctrinam Christianis omnibus pernecessariam proponit. Simplex Axioma huiusmodi est, Venturus est Antichristus, antequam Christus venerit. Hunc Antichristum variè describit, vt qualis sit futurus Antichristus, omnes ecclesiæ intelligant. Hanc Apostoli descriptionem particulatim consideremus. Primùm ait, nisi venerit prius ἀποστασία. Fidei autem ἀποστασίαν intelligit, quandoquidem nec illi erat in animo de regnorum atque imperiorum mutationibus aut euersionibus verba facere, & id ἀποστασίας vocabulum

ſignificat. 1. Timoth. 4. ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, id eſt, à ſana doctrina deſciſcent. Et Patres omnes Antichriſti aduentum cum miſera religionis ac pietatis clade coniunctum fore prædicunt. Quod autem Apoſtolus ait, ἀποστασίαν ſimpliciter futuram, vniuerſalem non particularem indicat ἀποστασίαν. Loquitur enim ἀορίστως. Atque hoc etiam ex aliorum locorum collatione certiùs conſtabit. Lucæ decimo octauo, Filius hominis cum venerit, num reperturus eſt fidem in terra? Hæc illa eſt fidei ἀποστασία, hæc orbitas, quam Paulus prædixit. Matth. vigeſimo quarto, Abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: & Ioannes in Apocalypſi fore præmonſtrat, vt cum meretrice reges terræ ſcortentur, & vino ſcortationis eius inebrientur incolæ terræ, omnéſque gentes de illo vino bibant. Denique quod dico, euentus ipſe, harum rerum optimus interpres, veriſſimum eſſe comprobauit. Etenim partim Mahometiſmo, partim Papiſmo fides iamdudum penè omnis extincta eſt, vt ferè nihil veræ priſcæq; fidei in orbe terrarum remanſerit. Deinde Apoſtolus ad Antichriſtum ſuis notis deſignandum accedit, Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui

qui eſt aduerſarius. His verbis Antichriſtum tanquam vnum quendam hominem proponit, qui quanquam reuera non eſt vnus & ſingularis homo, tamen vnius perſonæ nomine deſcribitur ab Apoſtolo, cum propter ipſum regnum, quod ille Chriſto contrarium conſtituit, quod vnum eſt, tum propter vnum eundémque ſpiritum Satanæ, quo omnes Antichriſtiani incitantur. Quemadmodum regnum Chriſti vnum eſt, ſic Antichriſti regnum vnum eſt, eámque ob cauſam vt olim Daniel Pardi, Leonis, Vrſi nominibus regna ipſa, multorum regum hominúmque ſucceſsione continuata declarauit, ſic Antichriſtum Apoſtolus hominis vnius ſceleratiſsimi imagine, totúmque regni Antichriſtiani corpus deſcribere voluit. Et quando regnum Pontificium cum Chriſti regno pugnat ac dimicat, atque in eodem Pontifex tanquam monarcha ſummus dominatur, Papam κατ᾽ ἐξοχὴν Antichriſtum rectiſsimè nominamus. Hunc hominem reuelari oportere dicit Apoſtolus, id eſt, apertè regnum occupare, & tyrannidem ſuam exercere, quod quidem Papam vltra nongentos annos feciſſe conſtat, inde vſque ex quo caput Eccleſiæ dici, & in Eccleſia principatum tene-

re voluit. Atque vt planè perspiciamus hunc Antichristum esse, vt nos defendimus, Romanum Pontificem, reliquam Apostoli Propheticam descriptionē persequamur. Tribus autem attributis Antichristum vers. 4. qui consequitur, demonstrat. Primò enim sese opponet atque efferet aduersus quicquid dicitur Deus aut numen: Secundò sedebit in templo Dei tanquam Deus: Tertiò ostentabit se esse Deum. Habent hæc infinitam orationis materiam: mihi modus est necessariò adhibēdus. Primùm ergo Antichristum esse oportet ἀντικείμενον, Christo oppositum, aduersarium, cōtrarium, sic quidem vt Christo sese anteponat. Ita Antichristus non tantum humanos, sed etiam diuinos sibi honores sumet. An esse cuiquam dubium potest, quin hoc Romano Pōtifici conuenientissimè congruat? Nam & Deo maior esse vult, & ei palam aduersatur. Maiorē velle esse intelligemus, si quam sibi vendicet vterque authoritatem reputemus. Leges conscientiæ præscribere vnius Dei est, qui solus habet in nostras conscientias dominatum. Pontifex Romanus conscientijs hominum dominari vult, in quo ius diuinum sibi tribuit, & duriùs etiam seueriùsque imperat, quàm Deum facere debere existimat. Quis enim

nescit

nescit leges diuinas, quàm Pontificias multò impuniùs violari, & qui Pontificem offendit, grauiùs luere, quàm qui palam in Deũ impius fuit? Stupris, adulterijs, infandis flagitijs contaminari, non magnam expiationem desiderat: huiusmodi peccata leuissimo facillimóque precio redimi possunt: at carnem aut suillam aut bouillam die Veneris gustasse, id nisi sanguine eius, qui peccauit, ablui non potest. Tamen alterum Deus, alterum non nisi Pontifex vetuit: diuinam legem violasse ridiculum est plerumque, Pontificiam neglexisse capitale. Deum blasphemis verbis periuriisque lædere non magnum apud istos peccatum est, at de Pontifice vel parum honorificè loqui, scelus ingens & quouis supplicio dignum iudicatur. Sexcenta sunt huiusmodi, in quibus suam authoritatem Pontifex multò, quàm diuinam augustiorem & sanctiorem habendam esse statuit. Quid ergo est sese supra Deum efferre, si hoc non sit? An expectamus vt Deum de cælo detrahat Antichristus, & solium cæleste conscendat? Aduersari autem Cbristo Pontificem non ex aliqua parte, sed ἁπλῶς & καθολικῶς, paucis docebo. Neque enim aut calidum frigido, aut albo nigrum magis

repugnat, quàm Christianismo Papismus, & doctrinæ Euangelicæ professio Pontificia. Nam Deum quem, aut qualem faciunt, quando idolis innumeris seruiunt, & totum mundum idolatria sua complent? vbi enim vnquam, vel apud Græcos, vel Ægyptios, vel Romanos veteres aut simulachra frequentiora, aut εἰδωλομανία tetrior fuit, quàm fuisse in Ecclesia Pontificia, & esse adhuc cognoscimus? Et fieri posse ex tenui, modicóque crustulo Deum, cùm primùm sacrificus paucula ex impuro ore verba efflarit, quæ fratres charissimi, insania, quæ sacrilega in Deum blasphemia est? Deum ergo nullum habent, & Christum multo minùs, quem miris modis violarunt, distraxerunt, lacerarunt. Hominem esse Christum docemur in scripturis: homo autem esse non potest, si est infinitus, ἀπερίγραπτος, ἀόρατος, qualem nobis hominem Christum Papistæ fingunt. Superficiem illam mathematicam, quam in Missis suis adhibent, quæ ita subtilis est, vt nihil crassum habeat, Christum hominem Deúmque faciunt. Dicant hîc mihi, quemadmodum in illo corpusculo, Christi diuinam atque humanam naturam distinguant. Cuiusmodi corpus erit, quod omni magnitudine careat,

careat, quod ſenſum omnem fugiat, quod locos innumeros & remotiſſimos occupet? Sic Chriſti perſonam deſtruunt: in officijs verò Chriſti turpiùs adhuc & perniciosiùs errant. Quid enim Chriſto omnino integrũ relinquunt? Si eſt Chriſtus noſter ſacerdos, & ſunt huius ſacerdotij duæ partes, altera vt ſeſe pro nobis in vnicum perpetuúmque ſacrificium offerat, altera vt preces pro nobis faciat, quid eſt quod Pontificij Chriſtum quotidie offerunt, quid quod mediatores innumerabiles conſtituunt? Si Chriſtus Propheta noſter eſt, cur illius doctrina cõtenti eſſe nolunt, quorſum humanas traditiones legéſque deſiderant? Si noſter rex eſt, quid Pontifice opus eſt alio rege, qui noſtris conſciẽtijs, totiq; Chriſti Eccleſiæ imperet? Quare ſi is ſit Antichriſtus, qui Ieſum eſſe Chriſtum negat, quemadmodum Ioannes docuit, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum conſtat, qui Chriſti ſacerdotium, regnum, prophetiam ſuſtulit? Non poſſum omnes Euangelicæ doctrinæ partes percurrere, vt quid Chriſto Pontifex in ſingulis contradicat exponam: & hæc leuiter, curſimq; attigi, quia non locos communes tractare ſed noſtræ defenſionis rationem breuiter explicare debeo. Quare vt mittam cætera, atque hunc locum concludam, ſic affirmo, om-

nem illam doctrinam, quæ salutis nostræ causam mediumq́; proponit, & quæ cultum Dei siue externum, siue internum præscribit, esse à pontificijs corruptam, perditam, euersam. Quod cum ita sit, verè dici pontificem ἀντικείμενον consequitur. Ne quis autem Antichristum externum fore hostem somniet, qualis est Mahometes, subiungit Paulus illum in Dei templo, id est, in media ipsa Ecclesia sessurum. Erit ergo domesticus, non externus aduersarius, clam Christum, non palam oppugnabit, quanquã erit Christo summus inimicus, tamen fidem, religionem, amicitiã, consuetudinem cũ Christo summã simulabit, quo magis hũc perniciosum esse hostem intelligamus. Ita Pontifex Romanus, quanquam Christo per omnia aduersatur, tamen sedem sibi in medio Dei templo populóque collocauit. Nam & se Christi vicarium, & suam synagogam Christi veram Ecclesiam, & suos omnes, veros Catholicos esse defendit, qui se ab illo disiungunt, hæreticos esse clamat. Sic & sibi titulum, noménque Ecclesiæ vendicat, & alijs detrahit vniuersis, atque hoc est, quod Paulus illum in Dei templo sessurum significat. Multi venient, inquit Christus, in nomine meo, dicentes, ego sum Christus: quid est in Christi nomine venire,

nire, nisi se Christi vicarium vsurpare? Id cùm pontifex palàm facit, tum præter Pontificem nemo vnquam fecit. Deum verò nónne se palàm Pontifex esse iactat? Legite Gratianum distinct. 21. Nomen agnoscit, assumit, suum esse statuit, in eo acquiescit. Illum sui vt Deum colunt, eóq; nomine salutant, illius authoritatem & mandatum pluris omnino, quàm diuinum faciunt. Nihil iam fingo, rem notam omnibus clarámque dico. Pontifex Romanus se Deum terrenum esse prædicat, & quicquid Deus potest, posse gloriatur, si vnum peccatum excipias. Os impudens & blasphemum. Hactenus præclarè conueniunt omnia. Sed nondum Apostolicam percurrimus descriptionem. Si hæc non sufficiunt, attendite quæ sequuntur. Nunc verò, inquit Paulus, quid obstet nostis, vt is suo tempore retegatur. Quid huius Antichristi aduentum retardat ac remoretur, narrat. τὸ κάτεχον Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, de Romano imperio intelligunt, quo stante & florente non potuit Antichristus ad illam potentiam & magnitudinem peruenire. Quare vt locus fieret Antichristo, cedere Romanum Imperatorem oportebat. Hoc cuiusmodi sit, facilè intelligemus,

ſi quod monuit in Apocal. Iohannes, vt mox audiemus, Romam caput & μητρόπολιν Antichriſtiani regni eſſe oportere memoria teneamus. Cum ergo Romæ regnare deberet Antichriſtus, neceſſarium fuit, vt vacuam ei Romam imperator relinqueret: non enim ab vtroque occupari potuit. Iam rerum exitus huius vaticinÿ illuſtriſsimus et locupletiſsimus interpres extitit. Primùm Conſtantinus imperium ex Italia, Romàque in Græciam Bizantium tranſtulit: tum paulatim imperatores Græci ius omne in Italia ſuum amiſerunt, vt tandem Roma, imperÿ Romani ſedes, & pars magna Italiæ in pontificis poteſtatem venerit. Quod quidam Euangelÿ toto orbe promulgationem ab Apoſtolo ſignificari exiſtimant, non repugno quominus vtrumque intelligatur, & imperium mouendum eſſe Roma, & Euangeliũ vbique terrarum annũciandum. Temporum autem ratio in vtroque conſtat. Quòd autem nunc illud myſterium iniquitatis peragi Apoſtolus ſcribit, fundamenta pontificiæ ἀποσασίας ſuo tempore iacta eſſe indicat. Atque hunc Antichriſtum ad Chriſti ipſius aduentum duraturum eſſe diſertè teſtatur, quando ait, Dominus conficiet illum ſpiritu oris ſui, & illuſtri aduẽtu ſuo abolebit. Confici nonnihil Antichriſtus

christus minuiq; potest verbo Christi, tolli omnino ante Christi aduentũ non potest. Quemadmodum verò regnum adepturus sit, & tyrannidem Antichristus, exponit Paulus in eo, quod ait, aduentum eius fore ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni fraude iniustitiæ in ijs, qui pereũt. Nihil dici de regno põtificio aptiùs potuit. Nisi enim pontifex vim quandam efficacem, & validam, & planè Satanicam habuisset, fraude, fallacijs, præstigiis, miraculis falsis, nunquam proficere tantum profectò potuisset. Paulum de Antichristo vaticinantem accepimus: si verus vates Paulus fuit, quem esse verissimum non dubitamus, Antichristus sit Romanus pontifex est necesse. Capita rerum magnarum consectamur: neque enim licet excurrere longiùs. Ad Apocalypsim progrediamur, in qua certissima sunt & minimè obscura de nostro Antichristo oracula: ea cuiusmodi sint degustemus. In cap. 13. postquam bestiæ cuiusdam Ioannes meminisset, quæ capita septem haberet, cuius vnum caput plaga mortifera sauciatum, sed pòst sanatum fuit, quæ bestia nonnisi de imperio Romano intelligi potest: tum sequitur vers. 11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat

cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut draco. Hanc bestiam esse Antichristum ne ipsi quidem Pontificij dubitant: ego Pontificem esse Romanum euincam, qui se agni quidem vicarium, agnóque similem esse profitetur, tamen si illum loquentem attendimus, Draconem Satanámque agnoscemus. Quis enim vnquam immaniores in Deum blasphemias, quàm hæc bellua euomuit? percurrite quæ sequuntur ad finem capitis reliqua: omnia diuinitus conuenire sentietis. Quis imaginem bestiæ vulneratæ animauit, vitæque restituit, nisi Pontifex, qui vetus illud Romanum idololatricum imperium in suo regno ad viuum expreßit ac repræsentauit. Quicquid enim olim crudelitatis, auaritiæ, libidinis, luxus, idololatriæ priscis Imperatoribus Romanis vsitatum fuit, id totum orbi Pontifices Romani retulerunt. Quòd autem cunctos mortales cogat, qui viuere omnino, ac res suas & negotia tractare velint, ipsius characterem in frontibus manúque dextra suscipere, manifestum est. Nisi enim illi nomen dederint, eúmque & verbis sibi colendum & omnibus officiis indicarint, salui esse non possunt. Reges, Cæsares, Episcopi, diuites, pauperes, plebeij, docti, indocti,

indocti omnes illi inseruire, eius pedem osculari, hanc bestiam adorare debent. Numerum verò nominis, qui est sexcenta sexaginta sex, Irenæus pater antiquissimus Apostolorũ ætati proximus explicauit. Si quid traditionibus Apostolicis tribuendum est, cur non hanc Apostolicam fuisse traditionem existimemus? Latinus certè Pontifex est genere, fide, publica liturgia, & suos omnes Latinos esse vult. Qui non est Latinus, Græcum, schismaticum, hæreticum esse vociferatur. Si probabile visum est Irenæo, hoc Antichristo nomen fore, Λατεῖνος, nobis quidem multò magis hoc ipsum credibile videri debet, qui hanc Antichristianam Latinitatem cognitam atque exploratam habemus. Quanquam si quis malit de tempore interpretari, non magnopere dissentiam. Si enim ab anno 97. quo Iohannes vixit, suámque Apocalypsin scripsit, annos 666. numeramus, & Ecclesiæ statum consideramus anno 763. adultum iam Antichristum, Romæ regnantem, vtroque gladio terribilem, tanquam Deum ab hominibus Christianis adorandum, conspiciemus. Quid amplius requirimus? aut quid apertiùs præmonstrari potuit? Num etiam faces admouendæ sunt? Tamen sunt adhuc etiam a-

lia planiora, quæ licet magnoperè repugnant, vim tamen ad persuadendum maximam habebunt. Prævidit Spiritus sanctus, de loco quæri posse & dubitari, in quo hunc Antichristum regnare oporteret: quare locum ipsum Christianis notum esse voluit, vrbémque huius Antichristi sedem designauit. Ea verò Roma est, quam Iohannes & Babylonem vocat, & mulierem septem montibus insidentem, & vrbem terræ regnis imperantem. Hanc esse Romam qui dubitat, nescio an sapiat. Antiqui patres mysterium perceperunt. Tertullianus contra Iudæos, Babylon, inquit, apud Iohannem nostrum Romanæ vrbis figuram portat. Hierō. in cap. 47. Esaiæ, in epistola ad Asellam, in fine lib. 2. aduersus Iouinianum, in prologo lib. de Spiritu sancto, Romam esse Babylonem testatur, eámque purpuratam meretricem appellat. Augustinus lib. 18. de Ciu. Dei. cap. 22. Romam esse alterā Babylonem, & prioris Babylonis filiam affirmat. Orosius lib. 2. cap. 3. Romam per omnia Babyloni respondere multis rationibus demonstrat. Sed quid quærimus hominum testimonia, aut quid rationes desideramus, quando hanc vrbem Iohannes ipse esse eam declarat, quæ septem montibus insidet? Proferant mihi, si poßint, in omni terrarum orbe

orbe ciuitatem aliquam, in Europa, in Asia, in Africa, in nouis Indijs, atque illa nuper inuenta America, in qua sunt montes septem, præterquam nostram Romam, quam in septem montibus ædificatam esse omnes intelligunt, Pulcherrima Roma, septem quæ vna sibi muro circundedit arces. Et montium nota sunt adhuc nomina, Capitolinus, Palatinus, Auentinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis. Atque vt sit alia, tamen hæc vna regibus populisque omnibus dominata est. Romam ergo esse de qua Iohannes loquitur, nullam habet controuersiam? Et Roma est, non modò qualis olim fuit, tyrannis imperantibus, quod Pontificii ipsi concedunt, quia effugere non possunt, quin hanc ipsam esse Romam fateantur, sed cuiusmodi deinceps extitit dominante Papa, quod euincam ex ipsis verbis. Romam enim Ioannes describit, & quoad veterē statum imperij, & quoad renouatum atque instauratum, quemadmodum constat ex cap. 13. collapsum autem imperii Romani statum solus Pontifex restituit, atq; illam imaginem quodammodo demortuam animauit: ergo vtrumque statum significat. Deinde in cap. 17. vers. 8. apertè loquitur de bellua, quæ ascensura esset ex abysso. Romanum verò antiquum imperium, iam erat

viuo Iohanne constitutum : quare de regno Pontificio, quod nondum emerserat, loqui Iohannem certissimum est. Atque hæc eadem bellua est septiceps. Hinc constat, quæ hic Iohannes scripsit, de imperio, monarchiaq; Pontificia intelligi. Aliàs omnia erunt dissentanea. Quid multa cumulem, quid hominum testimonia, quæ incerta sunt & dubia, ad hæc diuina, tam clara, tam certa, tam multa adiungam? Itaq; nunc concludo, atq; ex his omnibus ἀπόδειξιν conficio, Si is sit Antichristus, qui sese Christo opponit, qui sese effert supra omnē quod dicitur Deus aut numē, qui ἀποστασίαν in Ecclesiā inuexit, qui sedet in tēplo Dei, qui sese ostētat esse Deum, qui euerso Romano Italico imperio tyrānidem & monarchiam ad se rapuit, qui statim post Christi ascensum in suis præcursoribus cœpit, qui ad mundi finem durabit, qui Satanam συνεργὸν habet, qui signa & prodigia mendacia iactat, qui se agni similem fingit, & tamen loquitur vt draco, qui belluæ prioris imaginem instaurat, qui omni modo λατεῖνος est, qui Romam, μυστικὴν Babylonem, vrbem septicollem occupat, qui purpuratus est, qui meretrix est, denique qui omnes Antichristi notas in Scripturis à Spiritu sancto diligentissimè & clarissimè descriptas habet, quod omni-

no necesse est, nisi male descriptũ esse à spiritu sancto Antichristum statuemus, tum Romanus Pontifex est Antichristus, & nullus alius: verũ autem est antecedens: verum igitur & consequens. Causam hactenus docui κατασκευαστικῶς, eam nunc volente, Christo, contra grauissimorum doctorum ἀνασκευὴν defendam.

FINIS.

